









1703.

24. Mearius, Nam. Fredericus : De renuntiatione censuum  
bonorum a debito facta.

25. Philippi, Fredericus : De successione et inheritance  
et statuto Gotlicem cum jure civili et canonico  
conferenda.

26. Proclus, Tammam : De origine diversorum  
jures naturae principiorum, quatenus nec una,  
nec adiacente veras sint.

27, 6, c Romanus, Carolus Fredericus : De successionis  
contractus locati conducti ab metu spectaculorum  
3 Bandl. 1703, 1737, 1748.

28. Scherzerus, Johann Adams : De conjectura pietatis

29. Sigismann, Gottlieb Fredericus : De iis, quas circa  
receptam de subiecto factissimam a non-nominis  
nuptis in Iatium vocata sunt.

30. Truner, Gallus Samuel : Disputatio historica. morale,  
in qua sacerdotes Romani in genere considerati  
sunt exinde oculis ristabunt.

1703.

31. Werckers, Henr. Tudor : De brutorum lege.
32. Werckers, Henr. Tudor : De fundamento iuris  
nis actionum moralium.
33. Werckers, Henr. Tudor : De officiis, quae  
jare imperfecte habentur.





*C. X. Romaneus reg. lant. condit. et notar. fidei def.*

EXERCITATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**RESCISSIO NE CONTRACTVS**  
**LOCATI CONDVCTI**  
**OB MET VM SPECTRORVM,**  
*OCCASIONE L. XXVII. §. I. π. LOC. COND.*

---

INDVLTV  
MAGNIFICI ORDINIS IVRIDICI  
LIPSIENSIS  
PRO LICENTIA  
GRADVM IN VTRQVE IVRE  
**DOCTORALE M**  
CAPESSENDI  
*AD DIEM XIII. SEPTEMBR. A. M. MDCCIII.*

P. P.

A

CAROLO FRIDERICO ROMANO.

---

LIPSIAE  
RECUSA MDCCXLVIII.





§. I.



um Cathedra Juridica hanc ferat, *Instituti Ratio-*  
ut in Philosophicam Historicamque *expromitur.*  
de Spectris, Sagis atque Magis, ho-  
rumque existentia, tractandi ratio-  
nem prolixius excurramus, his  
ipsis diebus peculiare aliquod Sche-  
diasma Polemicum Luci publicæ  
dedimus, in quo satis, ut opinamur,  
demonstravimus, dari Spectra, Magos ac Sagas, Dæmo-  
nesque cum hominibus in Societatem coire ac pacisci,  
imo terrere eos, atque ludificari iisdem, & nescio tandem,  
quæ non alia, patrare posse. Ita vero opera pretium fa-  
cturi videbamur, si in arguento, quod pertractandum  
suscepimus, ea, quæ fundamenti loco præstruenda erant,  
persequeremur. Etenim cum de spectris, singulari qui-  
dem Juridica ratione, agendum foret, facilis studii hujus  
nostræ jactura fieri poterat, nisi Dæmonum conjunctio-  
nem cum hominibus, multoque magis Spectra, non de-  
pravata hominum opinione effici, sed revera existere, &  
existere posse, demonstraremus. Hac mente princi-  
pio illorum submovimus rationum momenta, quibus

A 2

alia



alia omnia sunt persuasa: Deinde, aditu ad causam pro-  
pius munito, firmiori ratiocinandi genere ostendimus,  
id, quod in disceptationem præjudicialem vocabatur.  
Quo quidem munimento subnixi, facilius ex principiis  
Juris disquirere possumus: Utrum quoque, ob spectro-  
rum metum, conductoribus licet conductis emigrare  
domibus, priusquam tempus, initio contractus defini-  
tum, penitus elapsum sit, adeo, ut ipse contractus, quod  
ad obligationem in futurum, a Parte conductoris plane  
pleneque rescindatur? Hoc enim argumentum exqui-  
rendum nunc erit, & tractari hoc expeditius poterit, quo  
minus dubitationis de existentia Magorum, Sagarum &  
Spectrorum supererit. Igitur, quid Jura nobis præci-  
piant? videamus.

Momentum  
questionis.

Præjudicio-  
rum varietas.

## §. II.

Quanquam vero autore MORNACIO, HARLÆVS,  
Senatus Parisiensis Præses maximus, quoties de spectris  
sermo privatus incidit, nihil unquam gratius sibi auditum  
in causis, & doctius, quam quod BATR VVIVS in ea de spē-  
ctris causa differuerit, testatus est; tamen CHOPINVSLib. 3.  
desacr. polit. tit. 7. se de eodem argumento dixisse memo-  
rat actione celebri in deaurato, sive majori auditorio, con-  
tra prædictum BATR VVIVM an. 1576. laudatque judices,  
quod causam consilii esse pronunciaverint, iudiciumque  
suspendent in re, quæ ad sacram disciplinam pertineat.  
Enimvero excitatus modo CHOPINVSlbid. narrat, Sena-  
tum Parisiensem negantem sententiam probasse: tum  
LVDOV. CHARONDAS 7 Resp. 232. Jure Romano, vel Gal-  
lico spectra justam causam rescidendi contractum præ-  
bere, negat, & ita se respondisse, & judicasse, & Curiam  
per modum provisionis securam esse, scribit; Denique  
FER-

FERRONVS ad consuetud. Burdigal. t. 3. §. 3. defendit longo sermone, justam eam, causam timoris non esse. Sed hoc secus deinceps decretum est in Curia Burdigal. arresto pronunciato in purpuris anno 1595. d. 29. Mart. Quin GOTTOFREDVS ad §. 1. l. 27. ff. Loc. Cond. narrat, judicatum idem fuisse in Praefecturæ Parisiens. Auditorio, se adhuc adolescentem, & mirante LVD. SANCTONII, Advocati Paris. facundiam, variasque in id de pagana Christianaque vetustate sententias comparat. Amplius, teste eodem MORNACIO, hoc ipsum placuit in quinta inquisitionum decuria, anno 1612. pro tonsore, conquerente, domum locatam infestari spiritibus: justa enim ea causa resolvendæ locationis visa est. Unde decisiones contrarias, quarum paulo ante injecta est mentio, non sine scrupulo esse, recte judicant VFFELIVS in not. ad Covarruv. 4. V. R. 6. & CHRISTINÆVS 3. decif. 112. §. 3. sed & in Prætorio Granatenisi, se judge, semel atque iterum idem illud controversum, in eamque itum esse sententiam, ut liceret habitatoribus migrare, liberis omnino ex eo die a mercedis solutione, COVARRUVIAS tradit, loco modo citato.

### §. III.

In quam eandem sententiam affirmantem, tot rerum autoritate judicatarum corroboratam, libenter concedimus, secuti præterea partim genuinam Juris rationem l. 27. §. 1. ff. Loc. Cond. (qui quidem Textus habetur unicus in Jure, ad quem arcana refertur ab omnibus hæc quæstio:) partim autoritatem quam multorum Juris interpretum maxime celebrium. COVARR. Lib. 4. var. Ref. c. 6. ubi idem CHRISTOPHORO in §. ult. f. d. Loc. cond. placuisse, narrat; ANTON. GOM. Comm. var. Ref. t. 2. c. 3. n. 3. ubi ait: Solum JASONEM ita statuere. VINCENT. CAROC.

Autoris Sen-  
tentia.

A 3

intr.



*in tr. de Loc. Cond. p. 3. tit. de remiss. merced. n. 46. MOZZ. de  
contr. rubr. d. accid. loc. p. 478. n. 5. CHRISTIN. V. 3. Dec. 112.  
n. 2. § 3. BRVNNEM. comm. ad Pand. add. L. WISSENBACH.  
ad π. Exerc. 37. tb. 18. ubi quidem Senatum Parisiensem  
in contrariam sententiam judicasse refert, ipse autem, ti-  
morem spectrorum vanum esse negat. Quem ut prædi-  
cto Senatui conciliaret Excell. Dn. THOMASIVS ad HV-  
BER. pos. π. tit. de loc. cond. non vere minus quam pie &  
prudenter, existere spectra, se non credere solum, sed &  
experientiam id testari, afferuit, veluti ipsa ejus verba sub  
finem Schediasm. Polem. recensuimus.*

#### §. IV.

Demonstra-  
tio.

Stat pro Regula: Locatorem, qui ejusmodi contra-  
etum init, obligatum se reddere conductori ad sanas &  
liberas aedes praestandas, quas ipse tuto & quiete inhabi-  
tet l. 9. pr. l. 15. §. 1. §. 2. in fin. l. 33. ff. loc. cond. quibusque  
omnis metus, iusti sc. & constantis, expers perfruatur.  
Amplius locatoris est, ea, quæ usum ædium impediunt,  
tollere e medio, conductoremque intuitu cuiusvis periculi,  
quod in re conducta sine vi fati maioris repentina  
nocere valeat, & rem ipsam locatam respiciat, securum  
praestare. Quamvis autem, quod ad spectra, eorundem de-  
pulsio vires humanas excedat, imo etsi nondum quoque  
res sit confecta, eane ante, an post contractum initum  
oborta sint; tamen, cum, quomodo rescunque se habe-  
at, spectrorum metus ubique justus appareat, solusque  
causetur, ne quis ædibus conductis ex animi voto libere  
utatur fruatur, idem quoque, uti extra locatoris potesta-  
tem situs est positusque, ita omnino sufficerit, conductor-  
rem, consensu locatoris minime expectato, ab obligatio-  
necontracta recedere posse. a. l. 33. in fin. § 34. ff. Loc. cond.

#### §. V.

## §. V.

Neque vero probatu difficile fuerit, spe etra cuius- Argum. I. a.  
eunque sint generis, cum quae noſtu, tum quae interdiu metu iusto.  
graſſantur, eum injicere horrorem, qui & viri conſan-  
tissimi animum, veluti praeftruſit, admodum perturberet  
ac pervertat, modo praefertim ICtos dehinc evolvamus,  
& paulo altius, quemnam illi metum iustum intelligent,  
inquiramus & perveſtigemus. Illos autem deprehendi-  
mus non ſolum timorem deportationis, stupri, servitu-  
tis, carceris, vinculorum, cruciatus corporis, potentiae,  
minarum, omnemque alium, morti quaſi vicinum, me-  
tum iustum definiſire, ſed illum quoque, qui graviorem  
tantum aliquam personalem injuriā ſapiat, talem con-  
ſtantī pronunciare iudicio, ut ut ſemper non sit praefens,  
modo certo immineat. RIMINALD. vol. 6. Conf. 614. n. 8.  
ubi l. 9. pr. ff. quod met. cauf. qua metus praefens requiri-  
tur, & ſuſpicio metus excluditur, de ſuſpicio remora  
interpretatur. Itaque, quamvis haud undique, imo ra-  
riſſime eveniat, (interdum enim contingere experientia  
paſſim edocet) ut mali Spiritus inquilinos vel interfici-  
ant, vel qua corporis parte vehementer laedant, ſed po-  
tius ſaltem ipſos paululum quandoque vexent, actantis  
per illudant, de cetero nec familie inhabitandi, nec rebus  
illatis aliiquid, vel tantillum damni, afferant; nihil ta-  
men ſeciuſ, nudam eam vexationem & illusionem con-  
ductori ſat terroris personalis alicuius injuriæ incutere,  
nobis eſt peruaſiſſimum, ut proinde huic aliquo juris au-  
xilio, quo liberationem & perat & conſequatur, ſuccurri  
oporteat, idque vel inde potiſſimum, quod cum Spiritu  
maligno res agatur, cui nuſquam fides habenda, nec pro-  
pterea, quod extemplo adeo graviter non noceat, indul-  
gen-



gendum, cum verendum potius sit, ne interjecto tempore, DEI permisso, magis noceat.

§. VI.

Resolutio  
dubiorum.

Neminem vero facile moveant momenta, quæ quidam afferunt in contrarium, ut spectrorum metum justum esse, negent. Primum quidem adversari quam maxime, inquiunt, justitiae divinæ, si quidem illa permetteret, pium probumque Christianum cacodæmonis furori exponi. Quamvis enim homo vere Christianus re ipsa non habeat, quamobrem insidias spectrorum resor midet, nemo tamen dixerit, cum semper sibi esse ita reli-  
ctum, quin Spiritus maligni conatus persentiscat & ex-  
pavescat, ac recordetur, DEI Judicia admiratu sèpius  
dignissima esse, eoque imprimis collimare, ut verecundi-  
us modestiusque paulo de spectris judicet, veluti sacræ  
literæ una cum quotidiana praxi, quamvis nondum ubi-  
que satis pervestigata, maxime evincunt. Deinde urgent  
idem, cum in profanarum, tum religiosarum rerum mo-  
numentis nonnulla eorum legi exempla, qui exemplo Leo-  
num, quos spectra non metuere vulgo ferunt, nulla cu-  
jusvis generis spectra unquam veriti sint, veluti Atheno-  
dorum, Philosophum, Athenis minime eas res expavisse,  
ex Plinio constat. At enim vero, non exemplis, sed legi-  
bus, judicandum est. Rari reperiuntur, qui non talibus  
spectris occurrentibus expavescant. Igitur liquet, metum  
heic non minus verum esse. Nec enim, quæ semel vel ite-  
rnum eveniunt, a legislatore attenduntur, ceu recte judicat  
*GOTHOFREDVS add. I.* Amplius, si fortasse post Atheno-  
dorum adhuc alii eandem animi virtutem ostenderint, in-  
telligendum est, eos non tam propriis viribus, quam vi-  
alia maioris, scilicet boni scilicet mali, numinis ad id magnanimita-  
tis

tis fastigium perductos fuisse, quo tamen alios perinde  
 adspirare merito negamus, neque per pauca exempla in  
 consequentiam trahenda esse existimamus. Ita inter  
 alios *LCIANVS in Dial. Philop.* Eubatidis Magiæ Egyptiaci  
 meminit, qui olim quasdam ædes Corinthi conduxerat,  
 quas, cum præ nimio spectrorum metu ingrederetur ne-  
 mo, ille tamen animo prorsus impetrerito in eas introivit,  
 multosque per annos constanter ibi habitavit, utt̄ Dia-  
 bolus quandoque ut canis, nunc ut leo, modo etiam tauri  
 specie plurimis vicibus eum infestaverit. Sed & *GREGOR.*  
*Lib. 3. Dial. c. 4.* memorat, Datum, Mediolanensem Epi-  
 scopum iidem Corinthum accessisse, & cum domum pro  
 rei familiaris necessitate satis amplam nusquam inveni-  
 ret, libere demum in quasdam alicujus civis ædes, quæ  
 longo tempore ob spectrorum metum vacuae steterant ac  
 deferta, se recepisse, hoc inhabitationis successu, ut voces  
 abominandas illusionesque tremendas, quæ noctu sæ-  
 pius emittebantur, aliaque crebro exercitia infestandi ge-  
 nera fortiter superaverit & veluti defugaverit, animi  
 magnitudine nunquam delapsus, dæmone euādem, uti  
 cum aliis confueverat, neutriquam perterrere valente.  
 Verum enim vero, uti tales heroes rarissime annotati  
 sunt, ita si vel maxime innumeri eorum vixissent, firmo  
 tamen talo nostra persisteret sententia, quæ sc. spectro-  
 rum metum semper justum esse pronunciat. Quamvis  
 autem ab hoc præsertim loco omnem vanam mentis im-  
 pressionem ac superstitionem alienam esse facile conce-  
 damus; nihil tamen interesse putamus, masculus sit, an  
 fœmina, & cuiuscunque tandem conditionis homo, qui  
 hunc timorem alleget. Multum quidem alias refert, mu-  
 lier, an vir, & hic vicissim, honestior, an plebeius, ac ire-

B

rum



rum ille, miles, aut literatus, an mercator, aliusve conditionis, metum passus fuerit. Namque pro personæ statu metum ubique arbitratur judex, l. 3. ff. quod met. caus. GAIL. 2. Obs. 93. Nimirum minor metus feminas magis, quam masculos, excusat, propterea, quod natura mulierum magis infirma, magisque fragilis credatur, l. 9 ff. d. jur. Et fact. ignor. cum e contrario masculorum constans ubique ac animosa appareat. Sed illud ordinarie quidem, & eo casu, cum homo homini metum infert, procedit, minus vero in eo argumento, de quo impræsens laboramus. Neque enim in spectrorum materia ea diversitas attenditur, sed, quod ad metum, uterque sexus pari censemur jure. Res eo redit, ut distinctio personarum tenenda sit in metu, quem homo homini, non quem dæmon homini incurrit. Imo vero eo libere procedimus, ut nulli dubitemus, simplicem conspectum larvarum, quæ neminem tangunt, nec se oculis cujusquam subjiciunt, sed ædes interdum vel quiete perlustrant, vel strepitum ac rumorem solenniorem subito excitant, aut inconcinnos horridosque sonos edunt, nullo licet reliquo vestigio, justam præbere timoris causam, cum utroque genere dæmon se efferat, quem omni modo abhorrire & aversari convenit.

### §. VII.

Enimvero dubii loco in favorem locatoris quammaxime obverti potest, ortum spectrorum in ædibus conductis casibus mere fortuitis annumerandum esse, qui ubique sine ullo ejusdem merito vi tantum fati conductor accidunt. GROT. d. J. B. & P. 36. 12. 1. Quamvis enim ipse locator ejusmodi casus preferre omnino necesse habeat, quatenus nempe illis ædes vel plane pereunt, vel alias deterior-

Aliud du-  
bium a casu  
fortuito.

teriores redduntur; e contrario tamen conductor eos,  
qui rem non plane pleneque destruunt, nec usum ejus  
perpetuo, sed admodum tempus tantisper impediunt;  
deinde autem iterum recedunt & transeunt, tantopere  
non curabit, sed æquo placidoque sustinebit animo, ut  
propterea eorum obtentu neque deserere ædes, neque re-  
missionem mercedis petere valeat. Verum enim vero Removetur.  
nullo quidem negotio illud, quicquid est dubii, remove-  
bitur, modo attendamus, multum omnino, habita in-  
primis temporis ratione, interesse; an v. c. inundatio  
aquarum subitanea, aliudve ejusdem generis infortuni-  
um emerserit, an spectris cœperint ædes infestari. Ete-  
nim quamvis quod ad utramque speciem res minime  
intereat, metus quoque utrobique, utut fortuitus, justus  
peræque evadat; attamen impedimentum ædibus condu-  
ctis libere utendi fruendi superveniens, quod ad dura-  
tionem, variat. Aquis enim delapsis exsiccatisque nemo  
amplius de iis cogitat, aut quid metus percipit; at spe-  
ctris interdiu jam haud frementibus, neutquam inquilinus  
vel nocte instantे vel subsequenti die metuorum le-  
vabitur. Illinc igitur, postquam aquæ effluxerint, metus ac  
periculi causa penitus evanescit, quæ e contrario, spectris  
una licet vice quiescentibus, firmiter usque permanet;  
durante autem timoris causa, ipse quoque timor perdura-  
re ubique censetur. *MENOCH. d. pref. 4. n. 22.* Cum ergo  
hic casus fortuitus impedimentum usui objiciat veluti  
perpetuum, omnis æquitas suadet, ut conductor omni  
obligationi prorsus eximatur, solusque locator tanquam  
rei Dominus, secundum artis nostræ regulas, ejusdem ca-  
lamitatem persentiat. Certe, quo magis hujus rei grav-  
itatem expendimus, eo facilius adducimur, ut opinemur,



conductorem, quamvis casuum fortuitorum periculum generatim pacto in se receperit, nihilo tamen magis ad eum quoque, qui spectra maligna attingit, se adstrinxisse videri. Primum enim casus speciales & vix præcogitatusquam generali renunciatione continentur. Deinde ad præstandum casum valde insolitorum eventum, extra casum initæ expressæ pactionis, nemo plane se præsumitur obligasse. Jam spectrorum casus vix sibi similem geminumque cognoscit, ideoque aliorum generalium allegatione hanc comprehenditur, & quamvis fortasse non sit insolidissimus, valde tamen insolitus merito existimatur. Fac enim, in quavis fere civitate ædes eo nomine famosas revera reperiri, fac quoque, hujusmodi spectris domus non modo, sed & regiones desertas fuisse redditas, inde tamen protinus non consequetur, adeo frequentia atque copiosa esse ejusmodi loca, ut, quicquid in genere de fortuitis casibus sæpius evenientibus placuit, eo etiam illum spectrorum singularem casum intellectum velimus. Præterea quoque notissimum est, conductorem, qui iisdem generatim renunciaverit, illos non statim complexum intelligi, qui locatoris culpa saltem accidunt.

*BRVNNEM, ad l. II. §. I. ff. sol. matr.* At nemo ejusmodi impetu obstupendorapi videatur, ut malum mali dæmonis dolum spernat, ejusque metum abjiciat, qui procule dubio inde infima etiam ex parte graviora damna ac ultima locatoris culpa experiri ac persentiscere possit. Qua in renunciationis materia infra diligentius elaborabimus.

### §. VIII.

Neque vero desunt alia, eaque a minori ad majus ducta, argumenta, quæ sententiam nostram firmare, eique insignem vim atque auctoritatem conciliare possint. Age igitur,

Argumen-  
tum 2. a metu  
hostilitatis.

igitur, eadem quoque nonnihil perlustremus. Et primum quidem petere liceat ab hostium incursionibus, quas casibus accenseri fortuitis, una omnium est sententia. At quin ex longe inferiori gradu, ac infestus ille spectrorum rumor, aestimandæ sint, nemo ambigit; cum sane hominum quoque rabies atrocissima dæmonis insatiabili furori nusquam æquipolleat. Sane metus, qui ex irruptionibus hostium capit, cum pariter ex fundamento supra suppeditato justissimus censeatur, conductoris obligationem, invito locatore, penitus dissolvit, & renunciatione, casuum fortitorum ergo facta, minime continetur, modo tempus & locus, quo contractus initus fuit, probe consideretur. Nam si tum demum contracta sit locatio conductio, cum belli timor vel præsens extiterit, vel certe jam imminuerit, vel cum forte regiones vicinæ jamjam undique exarserint, aut si civitas, vel præmium conductorum ipsam hanc calamitatem sèpius experiri consueverit, quamvis durante bello timor sic perpetuo durae præsumatur, omnemque usum rei legitimum adimat, nihilo tamen secius rebus sicutib[us], conductor obligatus manet, cum ibidem neque casus fortuitus, neque valde insolitus ac incongruus animadvertisatur, quem alias renunciatio quoque generalis desuper suscep[ta] complebitur. Neque enim est ambigendum, quin, si ita fieri habet, nihil inopinatum visum fuerit, personæ contrahentes eodem pariter respexerint, ut propterea conductor ipse se ejusmodi periculo obnoxium reddere, & quod ex eo consequitur, isto obtentu deinceps se obligationi, contractæ semel, eximere minime queat *a. l. g. ff. d. incend. ruin.* Quanquam vero hostium appellatione publici, qui foras nosmet oppugnant, vulgo intelliguntur: nihil ra-



men vetat, quo minus etiam eadem domestici indicentur, cum interna quadam seditione non minus, quam bello, civitas commoveatur. Ipsa quippe seditio ad belli quoque genera pertinet, quamvis in media civitate exoriatur, *PLAT. Dial. 5. d. Legib.* & omnium bellorum atrocissimum habetur, cum, qui seditione agitantur, nullam ubique malorum requiem capiant, *Id. ep. 7.* eaque ipsa duas & una civitate diversas partes efficiat, *L. IV. L. 6. c. 5.* Itaque sicut publici hostis incursio impedimentum conductori præbet legitimum, quo minus re conducta uti frui, obligationemque semel initam implere valeat: ita & publica seditio ex pari fundamento eum necessitate contractum antea celebratum servandi levat; modo res eum præcipue in statum adducta sit, ut vel intra tractum multi temporis nulla certa firmaque securitas sperari queat, vel ultimus quivis tumultus ex improviso subitoque metui debeat, cuius etiam ipse conductor nullatenus particeps deprehendatur.

### §. IX.

*Argum. 3. a  
pestis metu.* Quod vero de hostilitatis metu modo commonimus, idem illud similiter, imo multo magis in peste valet, *CARPZ. p. 2. Dec. 116.* quippe cuius lue invalescente ipsem et veluti Deus bella gerere, & iram suam in homines dirrigere incipit. *COVARR. t. 2. p. 657. n. 3.* Quin & eam tam innumera ab omni latere mala concomitantur, ut vix quisquam planum exactumque eorum numerum inire valeat. Præterquam enim quod pestis, nullo fere temporis intervallo expectato, hominem repente rapiat, animaque exhalare cogat, nulloque plane medicaminis remedium se expelli patiatur, imo potius vera ac probata cuiusvis medicinæ ars suum officium penitus hic deperdat, & quod in



in proverbio fertur cesserint Magistri Phylliridis, Chiron.  
Amithaoniusque Melampus *MASCARD.* d. prob. conc. 120.  
*n. 9.* om̄nem desuper societatem humanam adeo dirimit  
ac divellit, ut alter alterum misere fugiat, & alteri conti-  
nuo veluti acclamet, quo fugam ipse citissime capeſſat.  
Quare non est dubitandum, quin illa lues, quemadmo-  
dum in ceteris quamplurimis, ira & in locationis con-  
ditionis contrāctu, conductoris obligationem plane ple-  
neque deleat, multoque magis illi emigrare dehinc, lo-  
cumque commutare permittat. *DD. comm. ad l. 27. §. 1. ff.*  
*Loc. Cond.* Nec interest, universa civitas prædicta lue sit  
afflita, an sigillatim ædes citra culpam inhabitantium  
infestæ fuerint, cum, si intra aliquam privatam domum  
hoc malum continueatur, propter justum propagationis  
metum eandem dirui penitus, vel etiam comburi, oport-  
eat. *CARPZ. ad L. Reg. c. 17. f. 2. qu. 27.* Quamvis vero pe-  
stis belli miseriam vel exæquet, vel quoque exsuperet,  
propterea quia heic cum hominibus tantum pugnatur, il-  
lic autem cum omni potenti Numine, cui nemo obſistere  
potest, negotium intercedit: nihil tamen minus pestis  
timor viciſſim ſpectrorum metu facile cedit, longoque  
merito poſtponitur intervallo, cum hic tandem interve-  
niat dæmon. Enimvero pestis quoque conciliatur a dia-  
bolo, ut vel ex solo Jobi morbis affliti exemplo, *Job. II. li-*  
*quet;* sed non a solo cum & boni Angelie eandem excitent,  
prout locus *II. Sam. ult.* docet. Imo ſunt, qui *ibidem* Serva-  
torem ipsum Angeli vocabulo indicari, non contemnen-  
dis permoti argumentis, existiment. Vid. *CALOV. ad eum*  
*loc.* Neque predicto Jobi loco dæmon ſuo arbitrio, ſed  
DEI nutu, ad vexandum Jobi corpus accessit. Plane  
differentia eſt in ſcupo. Namque quicquid mali a dia-  
bolo



bolo proficiscitur, sit sine malo, ut homo occumbat & pereat; contra vero, quod a bonis arcessitur angelis, eo collineat, ut homo vel in pietate erga DEum confirmetur, vel impius corrigatur. Amplius dæmon, quamquam, in quantum DEVIS eidem adversatur, est infirmissimus, undique tamen nocendi flagrat studio; cum econtrario DEVIS optimus maximus quique, utut sit justissimus, humanae tamen salutis cupiditatem nunquam abjiciat, sed constanter teneat, ac exarat. Quodsi itaque ob pestis metum conductori habitationem conductam deserere, fas est, ita, ut contractus omnino rescindatur, CARPZ. *Diff. de Asyl. Cred. per. 40. n. 103.* exceptione casus fortuiti minime admissa; ecquid firmius fortiusque, quam quod a minori ad majus ducitur, argumentum dari potest, ut multo magis spectrorum metum causam recedendi a conductione præbere colligamus; modo adhuc præciamus, de ejusmodi contagio nobis sermonem esse, quod vel colonos re ipsa jamjam premat, vel ita sit comparatum, ut nemo ab eo se tutum præmunitumque esse sperare valeat.

### §. X.

Neque quartum deficit argumentum, quod ad hanc sententiam ultro corroborandam admodum confert, idque a latrociniis timore sumtum. Sane latrocinium justissimum quoque metum cuivis viro constantissimo excitat; ut partim sana diicitat ratio, partim superius commemorati ICti uno ore tradunt. Ex quo consequitur, ejusmodi quoque metum, statim atque coortus fuerit, conductionem ab omni obligatione eximere, quamvis idem ad casus fortuitos spectet, eosque, pro ratione eorum, quæ rem circumstant, valde insolitos; cum, uti in

Argum. 4. a  
latronum  
metu.

in reliquis loco superiori recensitatis, ita heic quoque generalis renunciatio dehinc suscep ta illud subitanum malum minime attingat. Quodsi itaque conductor ex hac latrocini exorti causa locationi contraetate ante tempus elapsum renunciare potest, quidni multo magis ob spectrorum metum idem illud ipsi facere liceat? Imo, quod speciatim ad latrocinitum, non est necesse, ut inquelinus idem illud proprie vereatur. Sed suffecerit, furtum, quod simplex vocatur, metui, praesertim cum hoc interdum, imo saepius, tandem in latrocinium degeneret, quanquam inficias non eo, regulariter ea invicem, spectata delinquentium intentione, distingui. Etenim, strictiori sensu latrocinium designat homicidium, spolii ergo commissum, a.l.28. §.10.15.f.d.poen.c.10.de homic. O.C. a.130. furtum vero fraudulosam tantum rei alienae contrectationem, sine hominis interne cione perpetratum. L.37.f.d.usurp. & usurp. cap. §.1.7. f.de oblig. que ex del. Verum enim vero, quis non intelligit, utrumque, vitæ pariter ac bonorum amissionis metum justum esse, cum, si mihi ea desint, quæ vitam sustentant, vitæ simul periculum subeam. Initio quidem veteres latrocinium ad genera venationis illicitæ retulerunt BODIN. L. 2. d. Rep. C. 2. SEB. MEDIC. d. ven. p. sc. & aucup. p. 1. q. 1. n. 2. Quod quidem dicendi genus jam pridem in ipsa S. Scriptura aliquatenus apparuit, quæ Nimrodem fortissimum venatorem appellat, Gen. X. 8.9. ex loquendi more (quod ISID. L. 1. c. non est peccatum. dist. 6. in fine submonet;) Ebræis familiari, quo latronem hominem venatorem sive oppressorem appellare consueverunt; Conf. P. f. XCII, 3. unde, si conjecturæ locus est, evenit, ut deinceps, lingua vernacula, ratione alius criminis, fornicationis scilicet, vocabulum, ein Hurenjäger,

C

in-



innotesceret, quo quidem ille præsertim indicatur, qui scorta vilissima, fœdæ libidinis exercendæ gratia, passim persequitur & infestatur. At latino idiomate & venatio perpetuo excludit latrocinium, & ipsa latrociniæ vox genuinam sui tuetur significationem. Ceterum inter latrones graduum est differentia, quam imprimis *FRANC. MARC. in Dec. aur. in Sacr. Delphin. sen. tr. q. 4. n. 7.* stylo signat. Nempe eorum alii improbi efferuntur, alii improbissimi, itidemque famosi denominantur, & hi quidem definiuntur, qui tria minimum plurave latrocinia commiserint. Quæ quidem distinctio similiter ad conductio-  
nis materiam quadrare videtur, ita, ut nec ædes latrociniæ nomine diffamatæ satis deprædicandæ, nec conductor ius-  
tum perpetuumque latrociniæ metum pati censeatur, nisi tria quoque latrocinia prædictæ ædes expertæ fuerint,  
nullo tamen casuum discrimine, eadem singula ante, vel post contractum initum, an partim ante, partim postea even-  
erint; modo eorum, quæ ante contractam locationem obtigerunt, nullam eo tempore habuerit notitiam con-  
ductor, nam scienti obverti potest, quod nihilo secius idem periculum subierit. Quanquam sane verius videatur,  
quod ad numerum latrociniorum attinet, definitionem ju-  
sti metus totam arbitrio prudentis Judicis submitti, cum eo in Juris capite destituamur lege, quo casu prædicto ar-  
bitrio locum esse non ignoramus. Illius vero est, probe cir-  
cumspicere, & imprimis situm ædium pervestigare, cum seorsim & in solitudine constitutæ magis periculo pate-  
ant, & pluralis locutio ordinatim quoque duorum numero  
contenta sit, *l. 12. ff. d. testib.* ut propterea interdum vel  
duo latrocinia antea patrata justo metui ansam occasio-  
nemque dare posse, non refragarer. Quæ quidem ra-  
tio-

tione temperata, quam hoc loco præstruxi, sententia fir-  
mo stat talo: nempe conductorem metu latrocinii, imo  
furti, justo affici, quo habitationem, relunctante quamvis  
locatore, deserere, contractumque dirimere valeat.  
Enimvero REVSNERVS L. i. Dec. 16. n. 28. opinatur, latro-  
cinium nunquam perfecte in privata domo, sed in viis so-  
lum publicis obvenire, ideoque ejusmodi conductoris  
metum justum esse negat. Cūtamen contradicit CARPZ.

*Pr. Cr. p. i. q. 22. n. 19.* Nec immerito. Primum enim ra-  
pinam vulgo robbariam, & latrocinium vel confundere,  
vel sub alterius generis umbra alterum æque complecti  
videtur REVSNERVS. Quanquam enim latrocinii vox  
interdum generatim pro quavis deprædatione, ea etiam,  
quæ sine homicidio committitur, accipi solet, ita ut la-  
trones vocentur graffatores, a.l. 28. §. 10. ff. de pæn. DAM-  
HOVD. *Pr. Cr. c. 102. n. 12.* tamen proprie latrocinium  
& rapina, ut ex superiorius dictis apparet, omnino distin-  
guitur. Conf. CARPZ. *Pr. Cr. q. 90.* Deinde latro est, quis-  
quis aut vias obsidet, aut a latere, spoliandi causa homines  
adoritur, ut ἔτυμον nominis docet, & confirmat LIV. l. 39.  
cum scribit: L. Postumium Prætorem quæstionem ex-  
ercuisse in pastores, qui vias, latrocinis pascuaque pu-  
blica infesta habuerant: ut nihil intersit, utrum in via  
publica, an domi suæ, aut quo alio loco a latrone quis  
spoliatus sit? Accedit, quod domus cuique sua tutissi-  
mum refugium esse debeat; l. 18. ff. d. in jus vor. eaque  
nihil sanctius, nihil omni genere munitius detur. CIC.  
in orat. pro domo sua, & XENOPH. l. 7. Igitur inconcussa  
stat sententia, & latrones metum semper justum condu-  
ctori injicere, & ipsa latrocinia cum in ædibus privatis,  
tum in viis publicis, perpetrari. Quam etiam senten-



tiam quamvis præter Reusnerum deferant ALEXAND. V. 4.  
conf. no. n. 6. RICHTER. 2. Dec. 96. n. 128. PARIS de PVTEO  
de Syndicatu, verb. latro c. 2. tamen rectius alii sequuntur,  
FARINAC. part. 7. Oper. Cr. q. 165. n. 11 sqq. D. MHOVD.  
Pr. Cr. 86. n. 1. sqq. eamque CARPZOVIVS noster prædicto  
loco multis præjudiciis confirmat, eo provectus, ut atro-  
cius delictum videri in ædibus privatis, quam in via pu-  
blica commissum, pronunciet.

### §. XI.

*Transitus ad  
probationem.*

Restant plura ejusmodi argumenta, vel paria, vel  
adhuc majora, quæ brevitatis studio heic præterimus.  
Sufficient ea, quæ attuli, ut comprobent, spectra metum  
per se justum incutere conductori, quo, invito utut loca-  
tore, obligationem contractam dissolvere queat. Nunc  
nobis curæ erit, perspicere, quomodo conductor, qui  
obtentu ejusmodi timoris initio contractui renunciat, er-  
ga locatorem se gerere debeat, ne illa legum indulgen-  
tia, qua hac in parte gaudet, nimium abuti videatur,  
præsertim cum in materia spectrorum fraudes atque fal-  
laciæ innumerae facile occurrere queant. Illud vero  
extra controversiam positum est, quoad ipsius metus  
probationem, ea conductorem in hoc juris argumento  
supercedere posse. Nam quod alias dicitur, justum ti-  
morem nunquam præsumi, sed lucide probandum,  
MASC. concl. 1056 n. 1. ad ea saltem negotia spectat, quæ  
per se suaque natura nihil timoris sapiunt, sed quæ tan-  
tum vi aliqua exteriore ab alterutro contrahentium ad-  
hibita ineuntur, l. 2. § 3. ff. quodmet. caus. atque adeo ita  
sunt comparata, ut libere celebrata persisterent, con-  
currente vero vi metuque consensui contrario ex  
æquitate Præatoria, petita in integrum restitutione, rescin-  
dan-

dantur. At secus est, cum initio uterque, nulla vi antegressa, sponte consenserit, deinceps vero metus per se justus subito, & casu mere fortuito, supervenerit, ita quidem, ut, si de eo, initio contractus constitisset, alter procul dubio nunquam contracturus fuisset, quod accedit eo casu, cum, inita semel libere locatione conductione, metus spectrorum emergat. Enimvero regula modo tradita: justum metum, qui vi humana insertur, usque quaque probandum esse, nonnullas recipit limitaciones, quas partim *MEN. l. 3. pref. 126* partim *CRAVETTA conf. 115. n. 6.* commemorant. Quæ tamen, accuratius consideratae, casum intuentur, quo læso omnis alia demonstrationis via deficiat. Quemadmodum enim in subsidium præsumptiones vehementiores inter probationum genera locum sibi yendicant, ita & hac in parte easdem, quoad elisæ non sint, admittere nolle, minus æquum videatur, id quod laudati DD. cum aliis quamplurimis, ipsi judicant. At in præsentiarum ad nos non attinet, quibus potissimum modis justa iniusti timoris incussio comprobetur. Quin si rationem instituti persequamur, potius eo adducimur, ut paulo altius investigemus, qua ratione spectrorum in ædibus privatis grassatio certa atque liquida reddi queat, cum, eo probationis genere confecto, alterum, quod de timore profertur, exinde, sine novo adminiculo, facile consequatur. Nam quæ generatim spectrorum præsentiam respiciunt, in Schediasmate Polemico, opinor, satis sunt pertractata. Animus autem nobis est, plenæ probationis capita sigillatim percurrere, & quid unum quodque speciatim hoc in argumento conductori præstet, enarrare. Ante vero, quam eo decurramus, e re fuerit, certum iniri generum probandi numerum, præfertim cum notis

C 3

simum



simum sit, nimium quantum ea in re variare DD. eorum. Que alios plenæ probationis modos contrahere, in compendiumque redigere, alios vicissim eosdem latius proferre, veluti imprimis *BERLICHIVM P. I. conc. 36.* factasse videmus, qui plus quam octoginta recenset. Præstat vero, studere brevitati, & quantum fieri potest, succinēte non minus, quam perspicue, rerum partiri momenta. Quam quidem rationem si hoc quoque loco ineas, nullo negotio prospicies, omne probandi gentis ad quinque ferre species posse redigi. Quarum prima descendit ex notorietate, altera per testes deducitur, tertia ex instrumentis perspicua redditur, quarta per confessionem robatur, quinta denique per præsumptiones revincitur. Jam age, easdem sigillatim, qua convenit, cura consideremus.

### §. XII.

Primum genus Probationis, Notorietas.

Fit a notorietate initium, quæ, sicuti alias, ita heic quoque primum locum inter perfectæ demonstrationis species occupat. Notorium vero uti varie dicitur; ita proprie vocatur illud, cuius populus, vel certe major ejus pars, est testis, ut *Archi-Diaconus in c. 3. §. 1.* Si autem verb. notorio d. appellat. in 6to. definit: cum res ipsa velutiloqui censeatur, & omnium oculis pateat. a. l. 8. §. 1. ff. fin. reg. Quamobrem notorium probatio probata audit, speciatim vero illud, quod facti est permanentis, & omnem respuit reprobationem & præsumptionem juris & de jure exsperat, neque allegari, sed a judice suppleri debet, neque sententia eget declaratoria. *MASCARD. de prob. concl. 1107. n. 11. § Concl. 1109. n. 3. 4. conclus. 1110. n. 5.* Quot autem tandem hominum scientiam ad inducendum notorium necessariam esse statuemus? Variant ea in re inter-

pre-

pretes. Quamvis enim superius commonuerimus, notorium vel ab universo populo, vel majore ejus parte, fieri; non desunt tamen, qui modo decem, modo tres quoque sufficere putent. Verius dixeris, rem arbitrio judicis esse submittendam, *MASCARD. Concl. 1107. n. 18.* *MENOCH. de arbitr. jud. quæst. l. 2. cas. 166.* ut ille pro ratione eorum, quæ rem circumstant, numerum finiat. Quin ex Actis Judicij notorium inferri, omnium est sententia, de qua speciatim idem testatur *MASCARDVS Concl. 1108. n. 14.* Qua ratione caveat judex, ne in admittendo notorio sententiam præcipitet, cum monente *ALEXANDRO III. Pontifice c. 14. X. d. appellat.* multa dicantur notoria, quæ non sunt, veluti cum notorium vulgo creditur, quod fama & communis reputatione sustinetur; cum tamen notorium habeat originem a scientia certa, contra vero fama plerumque a sola suspicione & incerto autore profiscatur. Eovero magis in argu-  
mento de spectris providum sollicitumque esse oportet judicem, quo crebrius eorum timor in mera resolvi solet somnia, vanasque conceptiones. Igitur in primis cavebit judex, ne famæ cuivis & coorto rumor intempestive subscribat. Fac enim, per universam civitatem spargi, passimque divulgari, mala spectra Caji conductoris ædes inhabitare, cum tamen ea a nemine alias, nisi ab ipso Cajo, vel quo alio inhabitante, perspecta, neque a quovis altero, nisi cui Cagus illeque alter enarraverit, unquam intellecta fuerint, sane idem illud mox pro notorio neutiquam habebitur, quamvis centum testes dehinc unanimiter deponerent, se ex ore ipsius Caji constanter audivisse. Etenim fama ac rumor adest, nondum autem ipsa rei notorietas. Fama quidem, eaque certis

Judex monetur.



certis subnixa conditionibus, quas novissime concessit MARTINI Comment. Proc. tit. 20. rubr. n. 220. seqq. semiplenne probat, a. l. 3. §. 2. ff. d. tēst. At sibi relicta nunquam in notorietatem transit, etiam si duo, iisque omni exceptione majores, testes deponant, quod audiverint, majorem partem populi, & speciatim hunc, istum, illum dicere, subiecta quoque dicti causa. Alio plane modo ineunda est ejus rei notorietas, ut testes deponant, se ipsos sensu corporeo percepisse, idque aliis vel præsentibus, vel certe eodem modo sentientibus, ita quidem, ut, si necessum sit, quisque ex populo, vel majore ejus parte, directo tanquam testis produci posit. MASCARD, Cancell. IIII. n. 3. Utique enim multum interest, an aliquid notorie cuidam unius innotescat, an de aliquo notorie cuiusdam constet? Namque innotescit nuda fama, at ipsa constat rei veritas. FARINAC. Pr. C. q. 21. n. 106. Itaque et si forte cuidam civitatis incolæ notorie innotescat, spe etra Caji ædibus inesse, notorie tamen inde de iisdem cuiquam nondum constat, nisi ipse ea, aliis æque præsentibus, vel similiter animadvententibus, viderit.

### §. XIII.

Ampliatio ad nocturna & in ædibus contingentia.

Enimvero negotia etiam difficilis probationis interdum ex notorietate postunt comprobari. Sed ut eadem notorie peracta dijudicentur, vulgo necesse esse creditur, ut palam, i. e. in loco publico, & in conspectu multi populi sint perpetrata, ANT. GOMEZ. 3. var. res. 1. n. 43. 44. cum e contrario, quicquid aut clam, aut in ædibus tantum privatis, contigerit, quisquis tandem de familia præsens adstiterit, idem non magis, quam quod ex fama atque auditu alieno emergit, notorium habetur. Quin alii desuper temporis adjiciunt circumstantiam, atque adeo ea, quæ noctu

noctu forsitan ac in tenebris eruperunt, notorietatis spe-  
 ciem induere, negant, FARIN. Pr. Cr. q. 21. n. 56. 57. pro-  
 pterea, quod vix ac ne vix quidem noctis tempore multis  
 populus, cuiusmodi ad illud demonstrationis genus necel-  
 farius ducitur, confluat, ac civitatem permeet. Cui qui-  
 dem rationi alii alias subtexunt, quod nimia vis tenebra-  
 rum vice gravioris obstaculi existat, quo minus quis tunc  
 temporis oculis certo confidere possit, & si fortassis tutius  
 confidat, subito valde ipsam veritatem fallat. Ut vero  
 DD. in eo libentes assentimur, quod ex commemoratis  
 modo circumstantiis notorietatem optime cognosci ac  
 dijudicari posse existimemus; ita e contrario easdem si-  
 mul & uno veluti complexu ad praedictam notorietatem  
 necessarias esse, merito negamus, eoque in capite dissen-  
 tiendi utimur libertate. Namque illud quoque, quod in  
 privatis committitur ædibus, interdum abit in notorium,  
 cum ad evidentiā facti inducendum omnino alter-  
 utrum, vel conspectus multi populi, vel publici loci con-  
 ditio sufficiat, utrumque vero simul requiri, nusquam tra-  
 datur. Nempe præter necessitatem, & tacente lege, requi-  
 sita notorietatis accumulare minus convenit. Sufficerit,  
 populum vel maiorem ejus partem, sat causæ habere,  
 quamobrem facta fidem tribuat, idemque extra dubium  
 ponat. Quibus præstruetis, nemo negaverit, privatas  
 quoque ædes multum populum capere, & quandoque se-  
 cum continere, ideoque notorietati neutiquam officere,  
 præsertim si reputemus nobiscum, quis numerus, sensu  
 Juridico, multitudinem populi conficiat. Enimvero Le-  
 ges, cum speciatim ea de re fileant, eandem judicis arbitrio  
 permisive censentur. Quamvis non abnuerim, idem il-  
 lud sic esse temperandum, ut plures in ædibus quam in  
 hs

D

foro,



foro, testes requiri, existimet judex. Quo enim magis abditus sua natura absconditusque est locus, quo notorie aliquid admissum dicitur, eo etiam majore testimoniū copia opus fuerit. Contra, quo liberius patet locus, eo quoque minor requiretur numerus. Jam in definiendo testimoniū numero ad inducendam notorietatem variare DD. paulo ante commonuimus §. 12. Sane, quidecem requirunt, juvari creduntur *Can. 17. caus. 2. q. 1.* Unde secundum DD. apud **MENOCH.** *d. arbitr. jud. quest. Lib. 2. cas. 166. n. 3.* auctus electionis, similisve, qui coram decem testimoniis geritur, notorie geri dicitur. Contra vero alii multos, quos requirit notorietas, imprimis etiam tres complecti, statuunt. **INTRIGLIOL.** *Dec. 44. n. 18.* **MARC. ANTON. I.** *Resol. 109.* *n. 36. seq.* Hinc **BARTOLVS** in *l. licet d. leg. 1. n. 3.* multa, inquit, sunt tria. Quamvis idem alio loco in *l. 4. d. relig. n. 2.* hoc in arguimento ambigat, imo neget, notorium dici, quod in villula, ubi sex vel octo tantum praesentes fuerunt, factum sit. Neque hic prætereundum est, quod differant, palam & publice quid fieri, quia palam fieri dicitur coram pluribus, puta duobus: ac publice, quod fit coram populo. **OCTAV. VVLPELL.** *d. præpos. § ad verb. signif. in voce palam. p. 71.* vid. **DONELL.** *6. Comm. 10.* Sic & evidens ac notorium synonyma esse, monet **TILLEZIVS** *ad c. 9. X. d. accus. n. 4.* ita tamen, ut interdum ea differre, & evidens quidem sensui nostro, notorium autem adhuc judicio intellectus subjacere, affirmet. In qua sententiarum rerumque varierate optimum est, quod dixi, Judicis sequi arbitrium, ut ipse ea, quae rem circumstant, sigillatim expendat, ex iisque notorium dijudicet. Amplius, quod ad noctis & tenebrarum causam, quamvis prima fronte ea videatur obstaculum, idque haud despiciendum iis, quæ

ad

ad visum pertinent, parere, atque adeo non minus notorieta*tati* rerum obstat posse: nihilo tamen minus hac etiam parte in tantum erratur vulgo, in quantum tenebrae cum ipsa nocte commisceri solent. Etenim, si modo e. g. casum ponamus, quo noctu vel civitas facibus ardentiibus utique stat illum inata, vel quo ipsa Luna ad senium pervernit, nemo non videt ipsas tenebras nocte. etiam media penitus dispelli, ut propterea nulli dubitemus, quin tum ea, quae quis noctu se vidisse allegat, non secus, nec minori jure, quam quae alto die perspexerit, credantur, pro verisique reputentur. Itaque, si decem homines fortassis adsint, qui tunc temporis, nocte etiam media, una testentur, eademque ratione se oculis aliquid percepisse, eorum fane assertio inducendam notorieta*m* et aque, ac depo- nentium de iis, quae medio quoque die contigerint, sufficiet: ut propterea in factis, noctu admissis, solum campa- nae sonum innotoriorum transire, minime credendum sit cum FARINACIO d. q. 21. n. 58. Ceterum ex eo, quod no- Etis spatio vulgo tot homines simul praesentes esse non so- leant, minus arguas, idem illud fieri non posse. Neque enim, quia nondum ubivis & undiquaque evenit, propterea nullatenus forte evenire idem unquam potest.

## §. XIV.

Jam discussis iis, quae nobis adversa esse videbantur, Applicatio ad rem proprius accedemus. Ideo autem illa quidem ob- (1) ratione spectacula primum removenda erant, quia, cum ad spectra contendimus, imprimis deprehendimus, eadem vulgo fere cum in privatis tantum aedibus grassari, tum & potissimum noctis tempore inhabitantibus comparere. Igitur, nisi ante omnia confectum foret, neque aedes privatas neque noctis spatium notorieta*m* quicquam obesse, ve-

D 2

ren.



rendum esset, ne in ipso statim limine ita hæreremus, ut  
 progredi deinceps liberius nobis nullatenus liceret. Enim-  
 vero non abnuerim, interdum existere casum posse, ubi  
 dæmones publica loca circumferrent, similiter negan-  
 dum non est, etiam die medio palam nonnunquam se  
 repræsentasse & conspicienda præbuisse spectra. Ni-  
 hilominus tamen ejusmodi exempla rariora sunt,  
 quemadmodum ante diximus, ideoque opera pretium  
 fuerit, ut de altero potius casu, eoque magis solito,  
 laboremus. Primum autem regulæ loco recte tene-  
 tur, quicquid sit in privata domo, nimirum decem  
 personis simul adstantibus, iisque ad testimonium depo-  
 nendum habilibus, idem illud notorii jure censetur.  
 Quod si itaque eadem in spectrorum causa contingat cir-  
 cumstantia, nihil est, quod eandem notorietas rationem  
 impedit. At enim vero ejusmodi casus accidit raro.  
 Namque compertum est, spectra magis singulis seorsim,  
 quam nonnullis sociatis invicem, apparere solere, pro-  
 pterea fortasse, quod odio, studioque nocendi incensa,  
 graviorem sigillatim, quam junctim, hominibus incutii  
 posse terrorem intelligent. Quamobrem dicendum  
 videatur, si non ædium privataram obstat conditio, certe  
 inopiam consociationis testium esse impedimento, quo  
 minus spectrorum casus pro notorio haberri queat. Sed  
 res adhuc salva est, cum alterum ex altero non conse-  
 quatur. Spectra regulariter & plerumque apparent sin-  
 gulis: ergo casus existere nequit, quo pluribus uno  
 omnium conspectu sese exhibeant? Imo vero, si perso-  
 nas in consortio constitutas ad metum pronas facilesque  
 ponas, veluti feminas, earum multitudo non terribit  
 ab instituto spectra, cum DEI permisso finem, quem alios  
     quin

\* \* \*

quin intendunt, nihiloseius obtineant. Aut quid ve-  
tat, quo minus dicamus, spectra in homines consociatos,  
DEO permittente, majorē furore ferri posse, quam cum  
seorsim unum alterumve infestent? Quin amplius eo  
procedimus, ut etiam spectrorum metum sigillatim, non  
coadunatis hominibus, incussum notorium fieri posse  
existimemus. Quid enim, si novus conductor memo-  
ret decem antecessores, eosque eodem spectro, cum in-  
habitarent, infestatos, atque hanc ob causam recedere  
ædibus conductis coactos? Sentio, euidem, quid mihi  
hoc loco obverti queat: testes tum fore singulares, cu-  
jusmodi minus probant, *c. 9. X. de prob.* nedum noto-  
rieratem efficiunt. Verum intelligendum est, illam ju-  
ris regulam de singularitate, quæ vulgo obstativa nuncu-  
patur, capiendam esse, quando agitur de probando actu  
in specie; cum e contrario singularitas cumulative s. ad-  
miniculativa, qualis quidem heic præsupponitur, dicatur,  
quando agitur de probando actu, eoque reiterabili in  
genere, cuiusmodi testimoniorum non obstat. Namque  
*dictum unius testis, quamvis aliquo modo singularis vi-*  
*deatur, alteri adminiculatur, cum eoque conjungitur ad*  
*probandum, cum in genere concordat, a. l. 16. c. de pæn.*  
*MASCARD. d. prob. concl. 373. n. 10. & Concl. 1153. n. 25.* Mo-  
do testes sint fide digni, & circumstantiis, iisque præ-  
cipuis, inter se convenient, veluti quod eadem ratione,  
eodemque tempore, ipsis apparuisse spectra testentur,  
hoc successu, ut non finita locatione derelinquere ædes  
necessum habuerint. Sane nihil impedit, quo minus tum  
spectrorum inhabitationem notariam esse reputemus,  
præfertim cum & metus favor, majorisque malii arcendi  
studium, & odium Dæmonis concurrant, qui magis ma-

D 3

gis-



gisque occultare res male gestas solet, & veritatem oppri-  
mere, & callide occurrere mediis, quibus depelli queat  
afflictio. Unde etiam actus, quibus Diabolus miscetur, re-  
gulis probationis nonnulla ex parte exemptos esse, DD.  
vulgo concludunt. vid. BERLICH. P. 4. Concl. 4. n. 82.

§. XV.

(2.) Rat. no-  
tis.

Quod vero ad noctis tempus, attendendum est, duo-  
rum esse generum modos, quibus se Dæmones exerunt;  
alterum, ut simplicem saltē rumorem, citra sui com-  
parisonem, excitant: alterum, ut in quilibus appareant,  
seque conspiciendos præbeant. Priore casu nullum aut  
exiguum est in circumstantia temporis discriminē, dies  
sit, an nox? propterea quia tum nullum existit objectum  
visus, sed auditus, qui noctu æque, ac die, exercetur:  
imo tranquilla nocte magis, quam inter strepitū diei,  
eiusmodi spectra observari posse ratio dicitat. Sed &  
posteriore modo spectra noctu non æque solum, sed &  
interdum longe magis, quam interdiu, oculis excipi &  
usurpari possunt, cum radios spargant, & splendorem  
quendam præ se ferant, eoque ab aliis rebus obscuris evi-  
denter distinguantur. Relinquitur itaque, quod modo  
asseruimus, neque se junctōnes testimiorum, neque noctis  
tempus efficere, quo minus argumentum, in quo versa-  
mur, notorium fieri queat.

§. XVI.

Differentia  
notorii a te-  
stimonio.

Unum hoc loco restat, ut dispiciamus, num & quo-  
modo notorium differat a testimonio? Nam cum noto-  
rium quoque testibus fieri dixerimus, videri poterat, idem  
illud adeo a dictione testimonii nihil differre, ut in eam  
plane pleneque recidat. Verum enim vero differentia  
utriusque satis perspicua est. Primum namque proba-  
tio

tio per testes, duobus regulariter contenta est *l. 12. ff. d.*  
*test.* cum e contrario notorietas requirat numero plures,  
 prout modo diximus. Deinde testimoniū personā modo ha-  
 biles sint, in notorio non tam rigide, sicuti in probatione  
 ordinaria, disputantur, cum numerus testimoniū, eorumque  
 concors depositio, defectum conditionis in uno altero-  
 ve, si quis subsit, facile suppleat. Denique testes in pro-  
 batione ordinaria juratos esse oportet, *l. 9. c. d. testib.* unde  
 Juratores solent appellari, ut apud PLAVTVM in Proleg.  
*Pænuli v. 53.* Uni Xenocriati Athenienses id honoris habue-  
 runt, ut injurato crederent, autore DIOG. LAERTIO, in ejus  
 vita. At in notorio jurejurando testimoniū non est opus, *a.*  
*c. 8. X. d. cohabit. Cler.* ubi, inter testes & testimonia di-  
 stinguit Pontifex, exemplo Hadriani Imperatoris, *l. 3. §. 3.*  
*ff. d. testib. v. TELLEZ. ad c. 9. X. d. accus. n. 5.* Quanquam eo  
 casu, ubi super ipso notorio duo producantur testes, iisque  
 de certa populi rogentur scientia, jusjurandum negligen-  
 dum non est, uti bene monuit MASCARD. *d. prob. Concl. IV.*  
 Qui quidem notorii probandi mos ita in foro invaluit, ut  
 fere regulæ locum occupet, & vix notorium vere tale citra  
 sui probationem admittatur amplius, ejusque allegandi ra-  
 tio nulla habeatur; cuiusmodi tamen non tam juris nostri  
 analogia, quam judicum inscitia, & in dijudicanda notorii  
 indole admissa incuria sustinetur. Vid. GOMEZ *3. var. Ref.*  
*l. n. 44.* Quare, si, quod caput sententiae est, repetere li-  
 ceat, sufficeret in genere, rumore, spectrorum domestico-  
 rum causa, per universam civitatem divulgato, conducto-  
 rem decem saltem personas denominare, quæ propria sub-  
 nixa experientia de præsentia mali dæmonis testentur, in  
 iisque, quæ rem circumstant, cum inter se convenient, tum  
 cum ipso conductore bene conspirent. Et hæc de no-  
 torietate.

### S. XVII.



## §. XVII.

Alterum pro-  
bationis ge-  
nus: testimo-  
nium.

Neque vero notorietate omnis vis probandi conti-  
netur, sed, ea deficiente, aliud probationis genus, idque  
non unum, subsequitur. Nos ordinem, quem initio  
constituumus, observaturi, dehinc ad eam speciem, quæ  
testibus perficitur, commigrabimus. At vero, cum nimis  
generalia præcepta hac in parte ab aliis jampridem co-  
pioseque tacta, expromere nec conveniat, nec vacet;  
ideo, his positis, eo curam animi impendemus, ut, quot  
& qui testes ad spectra, quæ ædibus privatis insistunt, pro-  
banda requirantur? cognoscamus. Ac primum quidem,  
quod ad numerum, ambigendum non est, quin duo, iique  
omni exceptione majores, hic æque, ac in aliis regulariter  
negotis, plenam efficiant probationem. l. 12. f. d. testib.  
Cum autem ejusmodi causa hic agitur, quæ pluribus  
forte obtigerit vicibus, interesse videtur, utrum testes spe-  
ctrum illud, cuius causa interrogantur, uno tempore si-  
mul, an diverso, seorsim viderint, aut audiverint? Sed re-  
vera non interest, prout ex iis, quæ superius commonui-  
mus, liquet. Namque singularis materiae probandæ ratio  
exposita, ut sufficiat, testes de eodem actus genere unani-  
miter deponere, quamvis in specie & temporis inita ratio-  
ne, inter se haud convenient, BOECL. Dec. 101. n. 7. postea-  
quam idem genere actus sèpius quidem diverso tempo-  
re, eodem sane modo, oboriri potuerit. Modo testes, uti  
generatim, cum de miraculis deponunt, instituta diligen-  
tissima veritatis pervestigatione, interrogantur, ita, cum  
circa materiam spectrorum valde prodigiosam sunt occu-  
pati, dictis fideliter omnibus, quæ rem circumstant, sen-  
tentiam suam expromant. Sed si unicus testis adsit, qui  
de spectris domum conductam inhabitantibus deponat,

num

\* \* \*

num illius testimonium valere dicemus? Sane unus testis non est audiendus, ne Imperator quidem, aut Pontifex Romanus, unius vox, quantuscunque ille sit, quasi nulla est. *I. 9. §. 1. C. d. test.* Quanquam, quod ad Imperatorem, *BRVNNEMANVS ad dict. loc. n. 8. veretur*, ut ea sententia obtineat. Nihilo tamen secius particula, *facile dict. I. 9. §. 1. c. d. test.* adjecta, indicio est, in causis civilibus aliquando unius testimonio stari posse, veluti in causis summariiis, aliquisque, quas commemorant DD. *FARIN. d. testib. q. 63. MASC. d. prob. Concl. 118. seqq. CÆVALLOS. q. 484.* aliique. Sed eodem minus referre possis spectrorum causam, præsertim cum innumeræ fraudes & fallaciae sæpe obrepant, ut propterea uni testi vix tuto fidendum sit, sed eo major cautio adhiberi debeat, quo facilius errari fallique soleat. Neque vero deest, quod nobis obvertas, nos nempe versari in casu, ubi plures uno interdum testes haberi nequeant, quo etiam uni fides vulgo tribuitur, *MASCARD. d. Prob. pref. quæst. II. n. 18. FARIN. d. test. q. 63. n. 38.* Verum attendendum est principium, quod hocloco præstruitur, ab aliis eadem facilitate, qua asseritur, negari, vid. *ANT. MATTH. ad L. 48. tit. 15. c. 3. n. 4.* præterquam in casu, ubi testis sit artifex, veluti recte temperat *MARTINI Comm. ad proc. tit. 20. rubr. n. 176.* Quam quidem sententiam, ut libenter in hoc fallaciis erroribusque exposito argumento sequimur; ita nec usum fori respuimus, qui unum testem semiplene probare dictitat. *MYNS. l. Obs. 98. ANT. FAB. Cod. tit. de testib. d. 11.* Ergo testem unum, cumque omni exceptione majorem, locum jure jurando suppletorio dare, facile concedemus, ita, ut nec feminam, ceteris paribus, sola sexus ratione abhinc removendam esse existimemus. Neque aliud dicendum fuerit eo casu, cum duo testes extent,

E eorum-



corumque alter omni exceptione major, alter non, quod genus dicitur probatio major semiplena, sed effectu cum semiplena ita est exæquata, ut similiter locum faciat suppletorio. Quid autem, si conductor, produceto uno teste, eoque omni exceptione majori, aut productis duobus disparis conditionis, ipse certam ejus rei non habeat notitiam, an eum nihilo secius ad jurandum suppletorium admittemus? Quæstio eo redit, utrum prædictum jurandum saltem de credulitate præstari queat? Affirmat CARPZ. p. 1. c. 23. d. 8. & Proc. tit. 12. a. 2. n. 50. seqq. MEV. 4. Dec. 125. n. 7. Contra vero alii, & si quidem, PRVCKMAN-NO V. I. cons. 10. n. 93. & 118. & 2. Conf. 18. l. 10. fides habenda sit, DD. communiter negant. Neque sine ratione, quia testi super credulitate juranti in aliena causa non creditur. Ergo multo minus in parte propria. Quicquid vero ejus sit, experientia forensis docet, saltem non tota die decerni etiam de credulitate jurandum suppletorium solere. Quanquam sunt, qui Carpzovium de illis casibus, quibus testes de credulitate admittuntur, veluti in probanda attate, factio antiquo, difficulti & similibus interpretentur, quos inter ipse LAVTERB. tr. d. juram. §. 6. n. 94. Quin CARPZO-VIVS seipsum eundem in modum alio in loco explicare videtur, l. 23. 12. & Proc. tit. 12. art. 2. n. 54. seqq. Quæ quidem doctrina nobis fraudi esse non potest, quo minus etiam in causa spectrorum ejusmodi jurijurando suppletorio locum esse concedendum pertendamus, cum eam quoque inter argumenta probatu difficultia referri posse nemo neget. Quodsi vero cum dictione unius testis alia concurrent adminicula, plene eandem causam probari posse, atque adeo jurejurando suppletorio supersendum esse, non refragarer, arg. corum, quæ tradit MASC. de

*de prob. Concl. 1230. n. 8.* Denique si testis ad sit, idemque non omni exceptione major, tum vero jusjurandum purgatorium locatori dictandum esse, eadem revincit. Juris analogia, a. l. 6. §. 4. C. d. bis, qui ad eccl. config. c. ult. infim. X. d. jurej. Imo interdum tum quoque, cum unus testis pro conductorere militat, isque omni exceptione major, magis est, ut reo, quam actori, jusjurandum imponamus, eo vide licet casu, cum rectius de causa spectrorum locator, quam conductor, nosse perhibeat. Namque quoties actor reusve, in puncto jurisjurandi, inter se colliduntur, toties, non attento probationis semiplenæ gradu, semiplena fit in specie, an eadem minor, ei, qui melius sciverit, deferendum est jusjurandum, prout vel sola sana præcipit ratio.

### §. XVIII.

Perspectis iis, quæ, quod ad numerum testium, præcipue consideranda erant, descendimus ad alteram quæstionem, quæ, quinam præ reliquis hoc in Juris articulo admitti ad testimonium dicendum debeant? exquirit. Testium vero varia sunt genera, veluti quod eorum alii sint habiles & idonei, alii minus; & habilium vicissim alii omni exceptione majores, alii non. Quæ differentiae in foro curate attenduntur. Namque eo casu, ubi testis est inhabilis, pronunciatur: Dass N. zum Zeugniß nicht zulässig. Altero vero, uti testis habilis quidem est, sed non omni exceptione major: Dass N. zwar zum Zeugniß zuzulassen, es ist aber N. seine wider dessen Person habende Exceptiones in denen Disputation-Gesetzen gebührend anzund auszuführen unbenommen. Qua quidem præstructa Juris doctrina, non inibimus omnium ejusmodi testium numerum, sed solum, annon in præsenti eorum quoque, qui alioquin inhabiles sunt, & quoisque habenda sit ratio?



tio? inquiremus. Sane exceptio, quam DD. vulgo tradunt: Nisi veritas aliter haberi non possit, vid. CARPZ. p. 2. c. 16. d. 50. heic quoque locum sibi vendicat. Sed quid hoc est, ubi veritas aliter haberi non possit? Quando secundum naturam negotii alii testes non potuerunt intervenire, ut propterea non tam actum, quam habitum potius, spectari oporteat, FARINAC. d. test. qu. 62. lim. 50. sqq. usque ad n. 51. Eoque pertinent causae difficilis probacionis, sive in se & natura sua, sive ratione loci, temporis, aliarumque circumstantiarum, ubi non stetit per producentem, quo minus alios eosque idoneos adhibuerit. FARINAC. diſt. qu. 62. lim. 1. n. 29. sqq. Et lim. 2. MENOCH. d. arb. jud. queſt. Lib. 2. cas. 116. CARPZ. Pr. Cr. q. 114. n. 35. seqq. Quod quidem in praesenti accidere, facile cognoscas, quisquis cogites, spectrorum causam in se esse difficilem, & forte ac repente evenire, ita ut vix testes eo fine accersere queas. Accedit gravitas periculi, quae suadet, ut tantisper a regula juris recedamus, & pro amplianda magis, quam coarctanda, probatione laboremus. Igitur admitemus hoc in capite Parentum & Liberorum testimonia, neque ab iisdem omnino arcebimus liberos impuberis, modo fuerint pubertati proximi, cum haec aetas nusquam prohibetur, nec natura impediatur, L. III. d. R. f. in eamque etiam spectrorum intellectus cadat. Proinde supponimus, ejusmodi impuberis sacras literas edocatos, & quid spectra sint, gnaros esse. Alioquin ea de re non magis restabuntur, quam ii, quide notorietate testantur, sed quide ea sit, ignorant. MASCARD. Concl. IIII. n. 7. Sic amplius de spectro, quod impubes viderit, testari pubes factus non prohibebitur, arg. eorum, quae docet FARIN. d. test. q. 58. n. 18. Et 53. modo tum temporis eam rem intellexerit, ut iterum recte tem-

temperat CARPZ. P. I. c. 16. d. 55. Si enim servum Ruprech-  
tum, quem vocant, pro spectro habuerit, tunc aliter senti-  
endum foret. Ea autem, quæ modo diximus, parentes  
quoque & liberos, eosque impuberes, etiam in hac mate-  
ria testes esse posse, sic intelligo, ut, quamvis pro ratione  
causæ a testimonio minus arceantur, propterea tamen non  
sint omni exceptione majores, cum & ingens affectio, qua  
illæ personæ ad invicem ducuntur, & proprium interdum  
interesse cohabitationis earundem fidem debilitet.  
Quousque vero ejusmodi testimonium ad definiendam  
causam sufficiat, Judex arbitrabitur, & pro ratione circum-  
stantiarum, earumque adminiculantium, modo plene  
probatam esse, pronunciabit, modo jurjurando, vel sup-  
pletorio, vel sane purgatorio, locum dabit. Quæ quidem  
res, cum late pateat, & infinitis propemodum accidenti-  
bus distinguntur, una regula coerceri vix potest.

### §. XIX.

At minor circa collaterales consanguineos emer-  
git dubitatio, cum & fratres sororesque regulariter testes  
admitti, verius sit, a. l. 1. §. 1. ff. d. test. CARPZ. Lib. 3. Resp.  
89. n. 33. ita tamen, ut non sint omni exceptione majores,  
a. c. 14. X. d. Presumt. qua ratione intellectus BACHOVIVS  
ad TREVTL. Vol. 2. Disp. 5. th. 8. lit. F. cum LAVTERBACHIO  
facile conciliari potest. Conf. MEV. 7. Dec. 116 Quanquam  
sunt, qui negantem omnino sententiam defendunt, ut  
PEREZ in Cod. tit. d. test. n. 8. alii vicissim, qui eandem ad  
arduis causas restringunt, ut MENOCH. 2. Præf. 53. & Lib. 2.  
d. arbitr. jud. quæst. cas. 104. n. 4. Sane in hoc nostro de spe-  
ctris argumento ratio urget, ut fratres admittamus, sive  
ipsi una ædes inhabitent, sive minus, cum eo tamen, quod  
prædictimus, temperamento. Posteaquam enim lineam

Continuatio  
Argumenti.



rectam placuit admitti, nulla appetet ratio, quamobrem obliquam repellere velimus, sed quod ad affines, eos, nullo linea discrimine, ad perhibendum hac in causa testimonium habiles esse, eo libentius dicemus, quo certius est, eosdem nulla lege inter inidoneos referri. Quæ res non caret ratione, cum tantus sane non sit affinitatis, quantus quidem consanguinitatis nexus. Namque alter a natura provenit, alter foras assumitur. Quo tamen loco idem repetendum est, quod superius tradidimus, Judicis esse, arbitrari ac dijudicare quantum cujusque testimonio fidei sit tribuendum. Namque affinis quoque affini suo non est testis omni exceptione major, & quo proximiore est affinitas aut consanguinitas, eo etiam magis suspectum habetur testimonium. Jam personas, quæ regulariter ob summam conjunctionem testes esse prohibentur, excipiunt exæ, quibus propter imperium domesticum testimonio est interdictum, ut sunt uxori & servi. Quod ad uxorem, eum non imperium modo maritale & immoderata affectio, sed & individua illa, quæ inter conjuges est, vitæ totiusque divini & humani juris societas, infortuniorumque participatio, a testimonii dictione arcet, l. 10. C. d. re milit. can. 15. 17. 18. c. 33. q. 5. a. l. 6. ff. d. testib. Quæ ratio, quamquam etiam hac in spectrorum materia valet, illud tamen non efficit, ut nullam depositionis ab uxore factæ rationem habeamus, per ea, quæ superius monuimus; maxime si maritus una cum uxore spectrum sive perspexerit, sive non vano sensu audierit. Qua tamen iterum in re multum valet arbitrium Judicis, qui bene circumspiciat, & imprimis curate attendet, utrum soli conjuges inhabitent, an cum aliis, qui nihil tale observaverint: vicissim num fortassis unus alterve deinceps ex eo terrore in morbum in-

\* \* \*

inciderit, aut alias atrocius quid passos esse constet, ne  
 nova haec fiat cautela, nondum libris ista de re scriptis in-  
 serra, qua prospicere sibi possent conductores, quo minus  
 locarum persolverent. Sequuntur reliqui domestici,  
 qui in eadem domo habitant, ut servi, mercenarii, simi-  
 lesque salariati, quorum etiam testimonium regulariter  
 rejicitur, l. 24. ff. l. 3. C. d. teſt. c. 24. X. eod. l. II. §. I. ff. d. pœn.  
 ita tamen, ut in hoc argumento iisdem de causis admitti  
 debeat, præsertim cum idem argumentum sit domesticum,  
 quo casu ejusmodi etiam personis ad dicendum testi-  
 monium aditus permittitur, a. l. 8. §. 6. L. d. repud. CARPZ.  
 p. I. c. 16. d. 54. Sed partes hic quoque suas interponet ju-  
 dex, & circumstantiarum alteram ab altera prudenti ju-  
 dicio discernet, & liberalius testimonium domesticorum  
 interpretabitur, si vel dimissi deinceps ante item motam  
 interrogentur de factis, quæ contigerunt, dum adhuc es-  
 sent domestici, a. l. I. §. 12. ff. d. quæſt. SVRD. Dec. 219. n. 4.  
 vel utriusque parti æque tales existant, ob paritatem affe-  
 ctus, a. l. 67. §. I. ff. d. R. N. perinde ac ii, qui utriusque litigan-  
 tium pari gradu consanguinitatis vel affinitatis conjuncti  
 sunt, testes esse queunt, cum mutua compensatione impe-  
 dimentum, quod subest, subvertatur, ANT. MATTH. d.  
 Judic. c. 9. th. 21. MEV. 4. Dec. 313. At, inquis, ministrorum  
 ingenia plerumque vilia sunt & abjecta, & minus culta,  
 nimiaque superstitione ducuntur, ita ut ea omne fere im-  
 perium in illam gentem tenere videatur; nusquam ergo  
 Judex eorum testimonio habebit fidem, qui facile conjici-  
 at idem ex lubrica & fallaci opinione. At enim vero, uti  
 ejusmodi testimonium temere non est recipiendum, ita  
 nec omne præcipiti mente abisciendum. Satius Judex  
 sententiam suam sic temperahit, ut, instituta diligenti-  
 omni.



omnium, quæ rem circumstant, inquisitione, discernat ipse, verosimile sit, an minus, amorisne nocturni, aut etiam furti speciem præ se ferat, nec ne? quod domestici testentur. Enimvero, cum de vera spectrorum existentia Judex amplius aut hæsitet, investigabit ejus rei circumstantias, easque non aniles fabulas & phantasmata reputabit, sed attendet omnino, eisque adhibebit fidem, quamvis a domesticorum testimonio proficiscantur. Modo, si noctu comparuerint, cum tenebris ita fuerit comparatum, ut illæ aciem oculorum plane non obscuraverint & illi ipsi secus deponant, ac olim quidem Athenis *apud PLVT. in Alcib. vii a secere*, qui nimirum aliquid, nocte densissima atque aterrima peractum, sese lucide conspexisse temere pronunciaverunt, & propterea cum summo ludibrio penitus a Judice repulsi fuerunt.

§. XX.

*De viciniis.*

Præterea Judex advertat vicinorum testimonium, in partes vocatum. Quid enim, si vel spectra in domo condueta adeo graffentur ac obstrepant, ut vicini eorundem tumultum persentire queant, aut domus ita invicem nexæ sint, ut ex una in alteram clare, nullo objecto obice, queat prospici? Tum sane multum erit testimonio vicinorum tribuendum. Ceteroqui, si vel quiete & sine strepitu incesserint spectra, & se tantum conspicienda inquilinis præbuerint, vel domus sese minus contingant, parum fidei habebunt vicini, quamvis se credere, quod viderint audierit spectra conductor, jurare velint, aut de fama testentur, cum jusjurandum in teste de credulitate minus valeat, præsertim, si omni ratione vacet, nec testimonium de fama, nisi nominato auctore, veluti prioribus ædium conductoribus, sit attendendum, *MASC. d. Prob. Concl. 1370.*

5



§ 750. Sic ne depositio generalis vicinorum sufficerit de auditu tumultu, nisi ea aliis communica sit adminiculis. Ceterum circa personas vicinorum non multum laborandum est, præsertim si crebrius se vidisse deponant, cum & alioquin ea, quæ non momentanea sunt, sed successiva, sci-re præsumatur vicinus. *MASC. Concl. 880. n. 15.*

### §. XXI.

Unum hoc loco superest dubium, quod universam causam, & quæ de admittendis in hac spectrorum materia testibus, alioquin inidoneis, allata sunt, vellicare posse videtur, nempe eo magis standum esse Juris communis regula, atque adeo ejusmodi testimoniū hic quoque nullam habendam esse rationem, quo gravius damnum rei locatoris familiari inferatur a conductore, qui ædes conductas spectrorum nomine diffamat, cum sic vilescant illæ, ut nemo deinceps existat, qui eas vel emere, vel alias iisdem uti velit. Verum quisquis ea nobis objiciat, attendat velim spectrorum causam & per se probatu difficultem esse, testimoniūque delectorum impatientem, & maxima cum inhabitantium molestia vitæque periculo coniunctam. Ut satius fuerit, damnum, quod forte locatori accedit, æquo ferre animo, quam jaēturam alienæ salutis, illius evitandi causa, promovere. Tantum quoque de testibus.

Dubium dicitur.  
mitur.

### §. XXII.

Pergimus ad instrumentorum probationem. Enim-  
vero rarus videri queat casus, quo de spectrorum existen-  
tia appareat ex instrumento. Sed propterea talem omnino non existere posse, minus colligas. Annon enim, lite  
jam olim desuper agitata, acta prostare possunt, quæ omnibus, quorum interest, edi oporteat, l. 2. c. d. edend.

Tertius Pro-  
bationis mo-  
dus: Instru-  
menta.

F

Ex



Ex his itaque si appareat, antehac eodem de argumento disceptatum fuisse a locatore cūm iis, qui eo tempore conduxerant, quicquid illis proficiuntur, præsentis conductoris intentionem optime juvabit. Quanquam enim res esse videtur inter alios acta, quæ tertio nec nocet, nec prospicit. t. t. C. res. int. al. acta, tamen attendendum est, exceptionem esse in actis Judicialibus, quippe quæ non solum fidem faciunt inter easdem personas, sed etiam inter quoscunque homines, qui supersint, cum effectu, non quidem plenæ probationis, sed præsumptionis, *MASC. d. prob. Concl. 33. n. 33. seqq.* Quo quidem loco Notarii instrumentum non erit negligendum; imo verò conductor, si cupiat quam celerrime spectrorum causam claram ac perspicuam reddere, quo eo citius sibi ex eo capite conductas ædes deseruere liceat, neutquam male sibi consulat, si notarium requirat, qui præsens id, quod in illa domo conspicitur, aut auditur, pariter propriis sensibus percipiatur, idemque deinceps, prout contigit, statim in instrumenti formam redigat. Quamvis enim eodem unicus actus contineatur, ab eoque, interje<sup>c</sup>to tempore, præterito vel futuro, diversus: nihil tamen ista accidentalis tantum actuum vicissitudo conductori locatorive vicissim prodest, vel obest, cum principale negotium, nempe quod utrobique cum dæmone periculum versetur, sibi perpetuo constet, & unum idemque esse intelligatur. Interim vero, dum in primis noctu spectra grassantur, atque adeo eodem tempore Notarii desuper adhibentur, scrupulus quidam inde moveri posset, quod Notariis expressis verbis interdictum legamus, ne vel durante nocte, vel in locis obscuris instrumenta sua confiant. *Ord. Notar. MAXIMIL. d. A. 1512. §. ult.* Die Notarien sollen auch ic.  
Ergo

Ergo consequitur, ejusmodi instrumenta invalida, nulliusque esse momenti. Verum enim vero necessitatis causus, qui nocturno tempore contingit, cuiusmodi ille est de spectris, nullatenus ea lege continetur, utpote quæ negotia presupponit, die & in media luce fieri solita. Igitur nec, quod *MASCARDVS* vult, *Concl. 1100. n. 39.* necesse est, ut tria minimum luminaria in ædibus accensa tunc temporis fuerint. Quamvis enim hæc cautela in aliis negotiis aliquid utilitatis fortasse praefert; in spectrorum tamen causa prorsus supervacanea dicenda est. Etenim si dæmones saltem tumultuentur, quid facibus opus est? Sin revera compareant, quando, quælo, lumina intacta relinquunt? Accedit, quod spectra saepe facem secum ferre soleant, cui nox etiam undiquaque atra ac densa non ob sistit. Interea superflua non nocebunt, & relinquatur modo tantum lucis Notario, quantum ad conscribendum protocollum sufficere videbitur, imo tam obfirmati sint peccatore ipse assumtique testes, ne umbram pro spectris, aut ancillas servosque tumultuantes, ex calliditate ac machinatione conductoris, aut alterius, cuius ea interest, pro talibus sic satis timide ac trepidanter habeant. De testibus vero quæstio superest, quales & quot Notario sint ad jungendi? Et extraneos quidem adhiberi, si quidem eorum suppetat copia, tutius est, quo omnis deinceps circa eorum personas evitetur disputatio. Interim tamen, quin domestici etiam in consortium venire possint, non est dubitandum, argumento eorum, quæ superius diximus, præsertim cum si quis conditionis defectus animad vertatur, ille facile autoritate Notarii suppleatur, utpote quinterdum duobus testibus æquiparatur, *GRAMMAT.* *Dec. 60. n. 11. & Dec. 73. n. 33.* & vim duorum habet, *a. l. 15.*

F 2

C. d.



*C. d. f. instrum.* scilicet quod ad actus per scripturam probandos, *MASC. concl. 1099. n. 5.* Quod ad numerum testimoniū attinet, in ordinario, qui duobus conficitur, hic quoque merito subsistimus. Quanquam vero *JUSTINIANVS N. 73. c. 5.* ad Instrumentum Notariorum testimoniū quoque requirit subscriptionem: tamen ea in foro hodierno parum curari solet, modo testimoniū nomina in ipso instrumento expressa fuerint, ita ut illa Justiniani Constitutione contraria consuetudine fere obruta esse videatur. Imo suffecerit, pro Instrumento examinari unum testem. Quamvis enim duo testes instrumento contradixerint: nihil tamen secius fides Notarii & illius unius testis prævalet. *MENOCH. d. arbitr. Jud. quest. cas. 105. n. 43.* At circa consilium, quod supra conductori deditum, ut scilicet pro maturanda intentione instrumentum Notarii conficiendum euret, emergit dubium. Instare enim quispiam possit, ejusmodi instrumento in actione rescissoria conducti locum non esse, cum ea processu ordinario sit pertractanda. Atenim respondeo, causam pensionum pro praediis inter summarii referri, *Reform. Francof. ad Mœn. p. 1. tit. 1. §. 16. & 17. MEV. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 14. n. 14.* ejusque nomine non minus rescissionem locationis, quam implementum, intelligi, cum relatorum eadem sit ratio, eoque magis maturari alteram rescissoriam causam spectrorum nomine oporteat, quo gravius periculum est, quod ex continuatione contraetus metuitur. Nihil ergo prohibet, quo minus ejusmodi instrumentum judici oblatum recipiatur. Hæc quoque de instrumentis.

§. XXIII.

Quartum genus: Confessio.

Nunc devenimus quoque ad confessionem, quæ quarta plenæ demonstrationis species dictatur. Sed con-

confessio duplex est, judicialis & extrajudicialis. Prioris generis confessio, cum quis in judicio fateatur, domum alteri locatam a dæmonibus infestari, contra confitentem omne genus probationis superat, *MASCARD.* *Conclus.* 344. n. 1. & præponderat testibus ac instrumentis *KLOCK.* V. 2. *Conf.* 39. n. 119. & nullis contrariis infringitur probationibus, *SVRD.* *Dec.* 10. n. 12. adeo, ut etiam præsumptionem juris & de jure vincat, *LAVTERB.* *Dissert.* d. *Confess.* th. 41. modo facta fuerit i) coram judice, eoque competente, a. l. un. C. d. *Confess.* c. 4. X. d. *judic.* j. l. 2. C. d. *custod.* reor. nullo alioque discrimine, ordinarius fuerit, an extraordinarius? *MEV.* ad *Jus Lubec.* L. 1. t. 1. a. 3. n. 51. 2.) adversario præsente, a. l. 6. §. 3. ff. d. *Conf.* An & acceptante? Tutior est sententia affirmans, vid. *GAIL.* 1. *Obs.* 55. n. 8. *TRENTACINQ.* d. *Confess.* resol. 2. n. 5. Sequitur extrajudicialis, cum extra judicium locator eandem spectrorum circumstan-  
tiam confiteatur. Ubi interest conductori, an tertio fiat confessio? Namque ipsi facta conductori, ab eoque accep-  
tata, plene probat, l. 20. §. ult. ff. *deposit.* l. 25. §. ult. ff. d. *pro-  
bat.* *CARPZ.* p. 1. c. 16. d. 21. §. 3. *Resp.* 67. n. 12. §. 13. modo &  
ipsa satis probari queat. Contra vero tertio facta tantum  
semiplenæ probationis vim habet, ita, ut conductori jus-  
jurandum suppletorium deferri possit. *CARPZ.* *dict.* def.  
21. n. 2. Illud vero sic necessarium non est, ut singulares cir-  
cumstantiae in confessionem deducantur. Etsi enim alio-  
qui causam obligationis exprimi a confitente oporteat,  
ut DD. communiter volunt, *VMM.* ad *proc.* *Disp.* 18. n. 17.  
ramen hoc loco sufficerit, simplicem a locatore fieri con-  
fessionem de spectris, quæ eodem fere semper modo ali-  
cubi comparere, easdemque formas spargere solent. Pla-  
ne, si accesserit ejusmodi confessioni extrajudiciali vel jus-



jurandum, vel consensus geminatus, ea quoque in plenam transibit probationem, veluti apud eosdem DD. traditur. Sic habuit quoque confessio.

### §. XXIV.

Quintum ge-  
nus: Præ-  
sumtio.

Transeamus hinc ad præsumtiones, quæ conducedorem levare queunt ab onere probandi. Nullienim dubitamus, quin illæ quoque in hac spectrorum materia locum habere queant, cum in negotiis aliquoquin difficilis probationis utramque paginam facere videantur, *a. l. 5. f. 6. ff. d. remilit. CARPZ. p. 3. C. 5. d. 11. GAIL. 2. Obs. 93. n. 18.* Exempla ejusmodi præsumtionum in hoc argumento si requiras, dari nonnulla poterunt, veluti si doceat conducedor, ædes, quas jam ingressus est, ante aliquot annos per quoddam tempus clausas atque obseratas perstiffe, quas nemo prorsus præ timore ingredi conatus fuerit, cum tamen locator nullam ejus rei causam commemorare queat. Nisi tamen, interje~~c~~to deinceps tempore, alius inquilinus easdem conduxerit, easdemque quiete inhabitari, cum præsumtio sit pro eo statu, qui erat tempore conductionis, nisi nova accesserint mutationis cuiusdam indica. Porro si homicidium, vel aliud crimen atroc in ea domo admissum sit, vel, si thesaurus ibidem absconditus esse haud vanis rationibus memoretur. Quod tamen utrumque ita crude accipi nolim. Enimvero experientia comprobat, dæmones malos ejusmodi ædes præ ceteris inquietare solere. Sed propterea statim pro præsentia dæmonum, eaque noxia, idonea non est capienda præsumtio, nisi aliis circumstantiis eadem fulciatur. Simili quoque modo conjectura hujusmodi exoritur, si media nocte, in certo quodam domus spatio, eoque possessore vacuo, lumina ria ardeant, si superata nocte suppellex aut queavis res alia condu-



conductoris fracta, scissa, australio modo læsa conspiciatur.  
Quin tum quoque conductorum aliqua juvari conjectura existimem, cum spectrum non ipsi quidem, sed alii tamen inhabitantium, quamvis unica vice, comparuerit, ipseque inde justam justi timoris omnino capiat causam.  
Nec solum spectrorum apparitio justam migrandi causam præbet, verum etiam justus metus, eo, quod Spiritus in conductoris ædibus dicantur vagari. *CAROC. de loc. cond. tit. d. remiss. merc. n. 46.* Unde justum periculi timorem sufficere, respondet Alphenus, quamvis periculum vere non fuerit, *I. 27. §. 1. ff. Loc.* Neque vero desunt aliæ ejusmodi præsumptionum cause, quas cogitandas aliis relinquimus.  
Nobis sufficiat adhuc monuisse unum, totam scil. præsumptionum materiam Judici subjectam esse, qui in re, occulta & obscura imprimis, eas graviter discernet, & quantum quæque valeat, arbitrabitur atque constituet, ita ut interdum jurijurando suppletorio aut purgatorio locum dare, interdum quoque, præsertim si plures conjecturæ ad unum finem conspirent, & se mutuo adjuvent, pro conductori statim pronunciare possit. Sed restat Jusjurandum, quod num a conductori locatori super spectrorum causa deferri queat? operæ pretium est investigari. Ac, cum de omnibus causis & actionibus, quibus civiliter agitur, jusjurandum deferri possit, *I. 3. §. 1. l. 34. pr. ff. d. jurej. intrepide propositam quæstionem affirmo,* ita tamen, ut locatori non modo probationibus defendere conscientiam, sed & pro alia atque alia ejus causæ ratione locatori idem referre liceat, modo caveat locator, ne communivitio, exceptionem cum facto in libellum deducto misceat, aut alia, quam qua delatum fuerit jusjurandum, idem conductori referat, quod quidem ex regulis ea de re vulgaribus

Jusjurandum.



bus repetendum est. Sane a prædicta juris communis norma nusquam causam spectrorum exceptam legimus; ideoque eidem merito insistimus, præsertim cum nec natura rei, nec conductoris scopus huic sententiæ ob-sistat.

### §. XXV.

Effectus de  
rémissione  
mercedis.

Postquam autem conductor probandum dederit, ma-  
los Spiritus ædes conductas inhabitare, quæritur, quidnam  
juris inter utrosque circa mercedem obtineat? Num scil.  
locationis conductionis contractus, si ita loqui heic liceat,  
ex tunc, an ex nunc, dirimatur? Distinguendum est, utrum  
inquilinus in liberò ædium usu statim, ac domum ingressus  
est, impeditus fuerit, an spectra, elapsa dehinc aliquo spa-  
tio oborta sint? Priore casu obligatio ex tunc resolvitur,  
ita, ut omnis mercedis petitio exulet, modo conductor  
nullam in ædibus iterum deferendis moram necitat, easque  
locatori, quam celerrime possit, restituat. Etenim si sci-  
ens lubensque hujus rei incommodum aliquandiu perfe-  
rat, neque suo statim jure natatur, in tantum sibi præjudi-  
cat, in quantum pro usu ædium, quo tantisper contentus  
fuit, ad præstandam mercedem pro rata temporis tene-  
tur, ita tamen, ut contractum deinceps continuare non  
cogatur, sed ab eo recedere valeat. *RVM. conf. 227. in fin.*  
*COVAR. Var. Ref. I. 3. c. 7. p. m. 429.* Neque vero discrimen  
heic constituendum est, sciverit, an ignoraverit jus condu-  
ctor, cum ea ignorantia neque justa reputetur, neque le-  
gum præsidio digna, etiamsi contractus personam, cui  
alias jura ignorare permisum foret, attingeret, utpote  
quæ obtentu prædictæ ignorantiae lucrum cum alieno,  
locatoris scil. damno, anhelare nequit. Quod autem  
ad alterum casum, nempe dum ex post facto, currente lo-  
catio-



cationis conductionis tempore spectra illa visa sint, nullum est dubium, quin a contractu demum ab eo tempore, in quod incidit impedimentum, abire liceat, atque adeo conductor mercedis præteritæ quidem, non autem futuræ nomine teneatur, a. l. 9. l. 15. §. 1. ff. Loc. Cond. Neque heic distinguimus cum BALDO ad l. 8. C. eod. spectra diuturna sint, nec ne? sed potius utroque casu inquilinum integrum pensionem solvere oportere, negamus.

§. XXVI.

Uti vero locator de casu regulariter non tenetur, imo ne quidem de culpa levissima, a. l. 23. ff. d. R. J. l. 5. ff. Extensio. *Commod. CARPZ. p. 2. C. 37. d. 21.* ita e contrario idem, cum sciens ædes a malignis Spiritibus infestari, easdem ignorantia conducendas dederit, de omni inde eveniente damno tenetur, quia tum in manifesto versatur dolo, l. 19. §. 1. ff. Loc. Cond. imo in penam incidit criminalem, eamque, pro conditione damni, variam, veluti si aliquis inquilinorum læsus, vulneratus, aut etiam plane interemptus esse dicatur, aut præ nimio terrore in morbum incidisse memoretur. Amplius, sicuti spectrorum metus locationem rerum dissolvit: ita etiam operarum conductionem dirimit. Igitur si casus existat, quo ipse ædium Dominus, vel etiam inquilinus, dissimulata spectrorum causa famulos ancillasve conduixerit, illæ personæ conductitiae, comperto deinceps ædium statu, a locatione recedere poterunt. Neque enim ea, quæ Domino indita est, magnanimitas easdem peræque stringit, quo minus servitio exire queant. Nemo se alieno periculo expōne re cogitur, & omnis contraetus, rebus sic stantibus, &, nisi quid novi inciderit, intelligendus est. Aliud obtinet, si ab inicio statim Dominus ipsis ideo edixerit; etenim

G

quam-



quamvis tum quoque discedere possint, ideo, quod ultra vires sese obligaverint, quamvis etiam mercedem, haec enim promeritam, petere queant, nimisrum quia causa, ob quam nunc abeant, minus injusta videtur: nihil tamen minus insimul eosdem ejus, quod interest, nomine Domino satisfacere debere existimandum est. Veluti priori quoque casu Dominus una cum integra, futuri etiam temporis, mercede ipsis ad omne id, quod interest, teneatur *a. l. 19. §. 9. l. 38. pr. ff. Loc. junct. l. 161. ff. d. R. f. l. 24. ff. d. cond. & demonstrat.*

### §. XXVII.

*Contraria.*

Restat, ut contraria excutiamus. Quorum prium est renunciatio. At enim generalis renunciatio omnium iurium, quae ipsi conductori ad remissionem pensionis pertinere conducere possunt, minus sufficerit, utpote quae casus fortuitos, inter quos referenda est spectrorum existentia, minus complectitur. *MEICHEN. Dec. 8. n. 4.* Neque conductor, qui periculum suscipit, hoc solo ad casum fortuitum praestandum obligatur, *l. 37. §. 1. ff. d. neg. gest.* cum verosimile non sit, aliquem casum fortuitum, cui resistere non potest, velle subire, nisi liquido de obligantis mente constet, quae suscepto periculo, ea saltem esse videtur, ut magis ad exactissimam diligentiam, quam præstationem ejusmodi casus se obligasse censeatur, *l. 22. c. d. Loc.* Neque secus dicendum putarim, quamvis pacto generali de susceptione periculi accesserit jusjurandum, utpote quod intelligitur secundum naturam actus principalis, super quo interponitur, *l. ult. c. d. non num. pec.* Quid autem, si conductor casibus fortuitis expresse renunciaverit, annon tum quoque illum spectrorum casum in se receperisse videbitur? Sane regulariter sufficit in persona

con-

conductoris generalis renunciatio casuum fortuitorum  
 expressa, etiamsi non accesserit specialis eorum enumera-  
 ratio; ut recte per l. 79. pr. d. leg. 3. l. 31. in fin. d. administr.  
 tut. l. 1. c. depos. l. 1. C. commod. l. 9. §. 2. ff. Loc. Cond. l. 6. in fin.  
 l. 8. C. de pign. act. statuit PANTSCHMANN. i. quæst. 6. cui  
 communis schola suffragatur, teste MEVIO d. pensinar. n.  
 76. seq. At enim intelligendum est, illud doctrinæ caput  
 capiendum esse de casibus, de quibus in genere fuerit co-  
 gitatum, aut in specie a viro prudenti & diligenti potue-  
 rit cogitari, quos dicunt non adeo insolitos, non etiam de  
 casibus valde insolitis, FRANZK. ad dict. Loc. n. 127. MEV.  
 d. tr. n. 105. Conf. MENOCH. Lib. 2. de arb. jud. qu. cas. 80.  
 n. 6. seq. GAIL. 2. Obs. 77. n. 5. Quam sententiam velut &  
 communem & æquam laudat SVRDVS Dec. 326. n. 52.  
 MASTRILL. Dec. 299. Jam spectrorum casum inter ca-  
 sus valde insolitos, qui in imaginationem suscipiens  
 verosimiliter non reciderint, referendum esse, negave-  
 rit nemo. Ergo verius est, conductor non obesse clausu-  
 lam renunciatoriam, quo minus adhuc Jure communi-  
 uti valeat. Idemque procedit, quamvis casus fortui-  
 tos sine discrimine & non cogitatos, ohne Unterscheid über  
 alles Denden und Versehen, paeto reperit conductor,  
 cum prædicti casus incogitati intelligantur secundum  
 præsentem statum, non autem de casibus, qui etiam  
 prudentissimum virum fallunt. MENOCH. Conf. 26. n.  
 19. MEV. dict. tr. n. 112. Plane si temerarius sit ædium  
 conductor, ut non vereatur, speciatim super ipso quo-  
 que spectrorum casu pacisci, eumque in se recipere,  
 tum vero eum dicemus teneri hactenus, ut integrum  
 quidem mercedem locatori solvere, non autem ædes  
 per totum contractus tempus inhabitare cogatur.

G 2

Neque



Neque enim vel locatoris interest, ædium usum usque ad finem contractus a conductorे continuari, vel conductori licet pacto aliquo vitæ suæ suorumque vim inferre, eamve periculo exponere.

§. XXVIII.

Continuatio  
Contrario-  
rum.

Alterum versatur in culpa conductoris, si quidem ipse in domo vel artes malignas veritasque exercuerit, vel vitam impiam & detestabilem liberius egerit, atque adeo facto proprio dæmones accersiverit. Quo casu conductorē, emigrare domo conducta cupientem, remissionem mercedis petere posse, tantum abest, ut potius omnis damni, & ejus, quod interest, nomine locatori teneatur, prætereaque pro ratione admissi plebētendus sit. Quod si enim conductor ad integrum mercedem obligatur, si ex persona, vel circa personam suam impedimentum contingat, licet citra suam culpm; PANTSCHMANN. i. quest. 13. n. 17. seqq. multo magis idem tenebitur, si culpa sua, ad casum ordinata, eundem præcesserit: l. 23. §. 3. ff. Loc. Ceterum idem illud, nempe culpa conductoris vim dæmonum ædibus attractam esse, probabit locator, nec parum hac parte juvabitur, si quidem doceat, priorum temporum inquilinos nihil unquam tale quid persensisse, sed easdem ædes quiete semper inhabitasse. Tertio concidit beneficium l. 27. §. 1. ff. Loc. cond. si conductor, istam timoris causam ante conductionem sciverit, a. l. 2. §. si quis ff. si quis caut. Et nisi tamen periculum longe plus acreverit. Quarto idem juris obtinet, si conductor, non obstante timore, in ædibus locatis permanserit. Sed & quinto, Conductor, cum locatori recepsum suum non denunciaverit, ad integrum mercedem tenebitur. RVIN. Conf. 227. in fin.



*fin.* Quod etiam in simili respondit CHARONDAS lib. 6. *Resp.* 76. ubi conductor cum familia domum ob pesterem deseruerat, relictis in ea suis mobilibus, nec restituta clave. Modo locatoris intersit fieri denunciacionem, cum pro culpa alicui non sit imputandum, si non fecerit id, quod factum non profuisse, *l. ult. §. pen. ff.* quis ordo in bon. poss. PANTSCHM. *quest.* 4.

### §. XXIX.

Denique haud satis scio, an nimia conductoris superflitio & credulitas huic referri queat? quæ alioqui magis ad defectum probationis pertinere videtur. Namque Conductor, qui futili opinione abreptus, aut aliorum illusionibus sibi quid imponi passus, ædes conductoras spectrorum obtenuit dissimat, & ex iis emigrare tentat, non solum integrum locatori mercedem solvere cogetur, sed etiam eidem damni inde dati nomine tenebitur. Quam in rem competit locati actio, ut partim mercedem solvat, partim interesse præstet conductor, *l. 9. 3. l. 11. §. 3. l. 13. §. 1. Et 8. l. 31. infin. ff. Loc. cond.* Sed qualem culpam in persona conductoris prærequiremus, ut locus illi actioni dari queat? Respondeo, secundum Juris analogiam regulariter levem, *l. 23. d. R. J. l. 5. ff. Commod. cuiusmodi a Judice pro ratione sexus, ætatis aliarumque circumstantiarum est aestimanda. At, inquis, dabitur quoque L. Aquilia actio, quæ culpam etiam levissimam inquietur, l. 44. ff. ad L. Aquil. Verum observandum est, culpam, quæ in contractu admissa est, sequi naturam actus, in quem incidit. Qualis igitur culpa præstanda est in contractu, talis etiam Lege Aquilia coercetur, a. l. 32. ff. de pos. l. 151. ff. d. R. J. l. 24. §. ult. l. 26. ff. d. damn. inf.* Quod autem



autem attinet ad interesse, quod actione sive Locati, sive legis Aquiliæ petitur, illud in eo consistit, quod post dispersam malam famam nequeat reperire vel conductorem vel emtorem locator. Quanquam vero plerumque difficultis probatio est, quanti ejusque interest, ut VENVLEIVS ait, *l. ult. ff. d. fl. p. rect.* vid. MASC. *concl. 930.* ut actor raro intentionis sua participes reddatur: tamen in praesens omni difficultate levabitur conductor, si speciatim loco ejus, quod interest, vel mercedem, qua interim sibi carendum sit, aut pretium, qua ædes alioqui vendi possent, aut quanto minoris nunc quidem veneant, exigat, adhibita peritorum ejus rei taxatione, aut subhastatione, prout res patietur.

§. XXX. inciso m.

*De qualitate  
actionis dis-  
quisitio.*

Coronidis loco subjiciemus quæstionem, qualis sit actio, qua conductor ob spectrorum causam contra locatorum experitur, ut sibi ædibus excedere permittat, atque mercedem pro rata temporis remittat. Primum quidem videbatur dicenda esse conditio ex lege, cum Lege, scil. 27. §. 1. ff. Loc. ejusve usuali interpretatione, sustineatur, neque actio ex contractu competat ad rescindendum. *l. 6. C. de act. emt.* Sed verius est, ipsam actionem conducti eo nomine competere. Neque enim coniditioni ex lege locus est, quoad suppetat ordinaria *l. un. de cond. ex leg.* Nec sequitur: Lex extat, quæ libertatem recedendi a contractu conductori impertitur: Ergo statim ad prædictam conditionem est configendum. Sane actiones b. f. ad omne id, quod contrahentes sibi invicem ex jure vel moribus præstare tenentur, competit *l. 31. §. 20. ff. d.* *Ædil.*

*Ædil. Edict.* Ergo etiam ad contractus rescissionem. Nec obstat adducta Lex. 6. C. d. act. emt. Namque ibidem Imperatores non simpliciter negant, ad re-scindendam venditionem venditi actionem compete-re, sed utuntur vocula: *facile*; ut regulariter quidem illam actionem ad implementum contractus, nonnun-quam autem etiam ad dissolvendum eundem dari, in-dicent. Quid multa? L. II. §. 3. 5. 6. & ff. de act. emt. L. 6. §. 1. ff. d. contr. emt. evidenter comprobant, ad re-scindendum quoque contractum interdum ipsam ex contractu actionem proferri. Differui hoc de Argu-mento, nec plura addere lubet, propterea, quod rem, ut meus fert animus, effectam dedi. Evidem pru-dentes haud offendero, si in qua opinione investigatio-  
veri me confirmaverit, eam sola paucorum hominum  
autoritate, bruti ignarus obsequii, non patiar  
infringi.


## T A N T V M.



丁巳上







B.I.G.

Black

EXERCITATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**RESCISSIONE CONTRACTVS  
LOCATI CONDVCTI**  
OB METVM SPECTRORVM.  
OCCASIONE L. XXVII. §. I. π. LOC. COND.

INDVLTV  
MAGNIFICI ORDINIS IVRIDICI  
LIPSIENSIS  
PRO LICENTIA  
GRADVM IN VTROQVE IVRE  
DOCTORALEM  
CAPESSENDI  
AD DIEM XIII. SEPTEMBR. A. M. MDCCIII,  
P. P.

A  
**CAROLO FRIDERICO ROMANO.**

LIPSIAE  
RECVSA MDCCXLVIII.

